6
22-a

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 E
39

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

5_22.a.25

21-e-17

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PETRI D'ORVILLE,

JURISCONSULTI,

POËMATA.

ECPHRASIS

TITULI.

Aonidum vindex, clava metuendus, ad Orcum
Proterret triplicem Parcam, dum turba Sororum
Ad Pindum vatem ducunt, ut ſerta receptet
Phoebea porrecta manu. Venus aurea tranat
Caerula, Cycneum Pueris comitantibus axem,
Gratatura viro partum decus. Ima tabella
Diſciplinarum genios ad marmora ſiſtit
A buſto rapti titulum ſignantia libri.




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PETRI D'ORVILLE,

JURISCONSULTI,

POËMATA.



AMSTELÆDAMI,

Apud ADRIANUM WOR, & *Haeredes* GERARDI ONDER DE LINDEN. MDCCXL.

VIRIS EXIMIIS
QUI
PETRO D'ORVILLE,
FRATRI,
PARENTAVERUNT,
S. D. P.
JAC. PHIL. D'ORVILLE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Dulces alumni ter puellarum trium,
Et Apollinarium orgiorum praeſules;
Quos non Athenis culta Pallas Atticis
Negarit accenſere civibus ſuis:
Cererique Eleuſin ſacra, legiferae Deae,
Sanctos epoptas inter ultro adſciverit:
Ad vos Iambus hic pede propero viam
Intendit, o amica vere pectora,
Spectata quorum rebus in duris fides,
Sinuque munus haud quidem ingratum gerit,
Defertque vobis ſic lubens merentibus:
Sed triſtius mihi & madens fletu meo.
Namque aegritudo noſtra quamquam plurimum
Veſtris recepit allocutionibus

Solatii, ſtridensque vulnus, dextera
Medente fotum, jam cicatricem trahit,
Ipſumque tempus, quod domat tandem omnia,
Stimulos doloris obterit lapſu levi;
Simul libellos hos tamen ſumſi manu,
Auctoris illico admonentur pectora,
Cor ingemiſcit & recrudeſcit dolor,
Udisque ocellis fruſtra imago priſtina
Obvertitur virique fratrisque optimi.
Quin codicis quum ſingulos verſus tuor,
Tot fomites doloris ardeſcunt novi,
Iterumque qualis in recente funere
Duros Deos incuſo, Clothunque aſperam
Fratrem repoſco tempus ante debitum
Florem ſub aevi praecoci datum neci:
Fratrem gemellum, menſium non orbitis
Nataliumque fortuitis caſibus,
Sed quem voluntas una, votaque paria,
Fidesque, & animus ſorte quavis conſili
Opisque promtus, & illa fratrum gratia,
Quae regna caeli ut occupavit Jupiter,
Pulſo parente, rarior comparuit,
Atque omnis inſtituta vitae junxerant:
At ſanctus ille virginum in primis amor,
Amoena Pindi quae vireta perſonant,
Arta jugarat ſic utrimque copula,
Ut ita gemelli vix ligati Caſtores,
Lucem parati mutuam priva nece

Im-

Impertiiſſe, ovoque eodem proſati.
Et vos, quibuscum, paſſa dum fuit Atropos,
Sodalitatis jura ſancte exercuit,
Et vos, Poëtam vena quis beatior,
Incognitum licet ore, dudum de nota
Meliore commendarat, arcanus dolor
Haec conſpicatos dona pertentaverit.
Quare benignam detis indulgentiam
Infirmiore corde fuſis queſtibus,
Fratrique talis morte fratris non ſuo.
Reſipiſco jam, maremque ſpiritum excitans
Non amplius fatigo crudeles Deas.
Alceſtin olim fortis Alcmenae puer
Orco rapinam pactione lugubri
Jam traditam, perhibetur invicta manu
Hujus tyranni vindicaſſe a vinculis,
Et reddidiſſe conjugis ſalvam toro.
Quid juvit! iterum menſibus labentibus,
Annisque, fato a certiore ſubditam,
Admete, fleſti conjugem, fruſtra invocans
Non audientis jam gravem clavam Herculis.
Tu, Muſa, ſola non merentibus mori,
Jam luce quamquam deſtitutis hac, viris
Vitam redonas, ſeculorum lapſibus
Non terminandam, deque Tartaro evocas
Latrante fruſtra livido inferûm cane.
Cuicumque dia contigere munera
Parnaſidum, puroſque apes Heliconiae

In ora contulerē nàſcenti favoſ,
Hunc fama penna non ſolubili vehet,
Per regna vaſto diſparata Nereo,
Magnasque utrique ſubditas urbes polo,
Quacumque Titan, inſtruens praecordia,
Subtile craſſo lumen admiſcet luto.
Quid flemus ultra, & plangimus muliebriter,
Hac niſus arte qui nigrum Lethes lacum
Emergit, & recidivus in novum jubar
Phoenicis inſtar ſurgit e ſuo rogo!
An non Lacaena ſaepe mater filium
Siccis recepit fortis unicum genis
Scuto reclinem, mille plagis pectora
Conſauciatum: quippe quas acceperat,
Dum Graeciae cervicibus Perſas graves
Magnanimus arcet, atque palmam patriae,
Sibique quaerit, prodigus vitae, decus!
Quis credat etenim mortuum, quem gloria,
Virtute parta, oblivione liberat,
Meritaque curto pleniora ſeculo
In ore memorum civium dant vivere!
Torpente ſi quis diffluens ab otio
Tranſegit aevum, ſubditus libidini,
Ventrisque ſervus, turpis inſtar belluae
Rimantis unco ſordidum roſtro lutum,
Nihil auſus homine, portio cui contigit
Caeleſtis aurae, cive vel dignum bono,
Is quum ſupremum claudit & ſenex diem,

Om-

Omnis moritur, aut ne ſemel vixit quidem.
Amicus ille veſter & frater meus
Hoc cavit olim: quem lucri quidem potens
Cunis ab ipſis deſtinaverat ſibi
Fidum clientem filius Majae ac Jovis:
Ut quippe natum jam diu cara in domo
Ad leniter ſonantis Amſtelae vada,
Cyllenio qua tura mille foci cremant:
Tamen aggerendae cura non ſic laminae,
Opumque nullis eximenda opibus fames
Sibi mancipare potuit ullo tempore,
Ne demeret plerumque de ſolido die
Partem, dicandam cultui Mentis Bonae:
Sive indoles hunc ſponte movit impetum
Felecior, ſeu cura patris optimi
Per diſciplinas rectiores mollia
Corroborandi liberorum pectora:
Sive ex utroque fonte manavit latex,
Rivuſque juſti ſic cucurrit alvei.
Doctrina certe gnava ſi qua deficit,
Bene nata nullo vim ſuam exſerunt modo.
Nec ipſe praedicare deſiit patris
Animum benignum, qui putavit non ſatis
Docere natum, rem quibus datur viis
Parere ac tueri parta: ſed ſumtus nihil
Curans, nec obſecutus exemplo patrum,
Qui liberalius & canes & equos alunt,
Domoſque celſas inſtruunt, quam liberos,

Ip-

Ipſum magiſtris excolendum tradidit,
Promis earum perperitis artium,
Quae proſperas ornare res, in aſperis
Praebere refugium & queant ſolatium,
In otio negotium ingenuum ferant,
Spiſſasque grata diluant curas vice,
Alant juventam & imbuant prudentia,
Senibuſque tardos ire non ſinant dies,
Et nationes deditas his cultibus
A barbararum faece gentium eximant.
Magiſter Hoogſtratanus illi contigit
Talis, catus blanda arte frugi mentium
Feliciora provocare ſemina,
Ac nobili ſcientiae ſuccendere
Erectiores indoles cupidine:
Adverſa plane corda paedagogicae
Gerens catervae, quae ſcholaſtico madens
Pingui, liquores Hippocrenes limpidos
Numquam ſitivit, & per Arcadum horrida
Spineta ducens ac paludes faetidas
Juvenes ab ipſo limine Aonidum fugat.
At ille dudum juga Cithaeronis gradu
Superare ſuetus arduo, tenerum pedem
Eodem alumnus calle ſenſim poneret,
Hortatus eſt; non, arbitrer, ſcaeva mala:
Livor fremat, ringatur Ignorantia.
Nam ſi quis adeo obtuſa geſtat pectora,
Ut dulce quid, vel utile Camenae ferant,

Igno-

Ignoret, ac proinde temnat haec ſacra,
Midae propago, patria Boeotius,
Nec non Minervae craſſioris aſſecla,
Aucepsve honorum, quos, male acceptos, gerat
Pejus, Deaeve deditus Pecuniae,
Ad ſe trahenti cuncta, cujus incubet
Fulvis acervis, ceu draco, nocte ac die,
Genio putamus hos relinquendos ſuo,
Nec praemiorum, quae ſacris vatum comis
Sunt deſtinata, judices admittimus.
Non horum Arion piſcibus notae lyrae
Delectet aures obſeratas cantibus:
Nec ipſe dura tangat Orpheus pectora,
Quamquam feras & ſaxa rigidaſque ilices,
Quin obſtinatum precibus inferum Jovem
Moviſſe fertur carminis dulcedine.
Idoneos vos ſumſerim màgis arbitros,
Paucoſque veſtrae laudis aemulos, viri,
Quos Cynthius ſacrario admiſit ſuo,
Ac tradidit Poëticae myſteria.
Cenſere veſtrum eſt, quo Camenarum pede
Acceſſerit laureta: num de fontibus
Potarit iſtis, unde vates ebrii
Phoebo loquuntur digna, puriſque auribus:
Nec vos recuſet ipſe cenſores ſibi.
Quod ſi lapillos, ſicut auguror fore,
Refundit urna candidos, nec ultimum
Adſignat in poëtico locum choro,

Fru-

Fruſtra receſſus vallium ac ſilentia
Ruris quieti poſtulent dehinc ſibi
Victura vates condituri carmina.
Nam ſive lenis ſpiritus Favonii
Ad tuta portus truderet curvas rates:
Seu fluctibus trux intonaret Africus,
Merces profundo comminatus ſpargere,
Curasque & inter ille crebros turbines
Negotiorum, quos frequens ciet forum,
Tranquillus egit inſtar Halcyonis dies,
Impune nidos educantis in ſalo,
Muſamque raro ſivit obticeſcere.
Quin & ſeverae Palladis colens ſacrum,
Non pauca chartis contulit gnavus ſuis,
Unde inſtruatur eruditorum penus,
Sive Italorum gaudeant cupediis,
Seu ferculis trahantur Argolicis magis.
Quae ſi futura ſiſteret luci dies,
Oliva lauru mixta frontem cinxerit.
Verum quid aequo demoror vos longius
Limen ſub ipſum, nec paratas ad dapes
Mota ſaliva comis admitto ſtatim!
Dicenda verbis comprehendam jam tribus;
Quae ſcire quodam vos mea refert modo.
Non cuncta fratris ſcriniis recondita,
Et publicata ne quidem prius omnia,
Promenda duxi: paene quae luſit puer,
Vel poeniteret literis nunc tradere,

Si

Si pectus in me noverim fratris pium,
Vel ſi qua juris eſſe mos privi jubet,
Huic inſerenda carminum corpuſculo
Abjudicavi. Non mihi torrens aquas
Limoque & ulvis turbidas volvens placet:
Sed qui toros fons obſtrepit per herbidos,
Lymphaſque manat lucidas magis vitro.
Quis iſte mos perverſus, an dicam ſcelus,
Piaculumque manibus Deis grave!
Famam virorum jure quaeſitam optimo,
Scriptiſque fultam laude dignis poſtera,
Demoliendi, ſive quis male ſedulus,
Seu ſpe lucelli turpis impulſus, foras
Monumenta Muſis trudit indignantibus,
Egena limae non, ſed incudis novae
Auctoribus, ſi viverent, fatentibus,
Lucique numquam deſtinata publicae!
Quod crimen, etſi vindicare non ſolet
Praetor ſeverus, atque leges negligunt,
Violare pacem quae ſepultorum vetant,
Quicumque dignum ſtatuat infami nota,
Themidi litarit, atque mecum fecerit.
Longe faceſſant iſta ſecli incommoda,
Lugentibus prognata turba Gratiis.
Si rite functus eſſe vobis cenſear
Fratris memoriam conſecrandi partibus,
Stellis videbor admovere verticem,
Phoebique patris abſtuliſſe calculum.

AD

A D

CLARISSIMUM VIRUM

JACOBUM PHILIPPUM DORVILLIUM

ob ἔκδοσιν Carminum elegantis Poëtae

PETRI DORVILLII,

Ejus Fratris,

FRANCISCI GALLUPPI

Ἐπίγραμμα.

HEu! fratrem deſles, Batavi lux altera coeli,
  Dorvilli, heu! animae dimidiumque tuae!
Heu fratrem deſles, quo non felicior alter
  Excoluit Phoebum, Pieridumque chorum!
Carmina at illius proſers in luminis oras,
  Lethaeoſque vetas muta ſubire lacus.
Ille Atropon ridens, & inexorabile fatum
  Jam meliore ſui parte ſuperſtes erit.
Graecia, quid jactas alterna morte redemtos?
  Hoc ſimul eſt fratres vivere poſſe duos.

A D

AD

Eundem Eruditiſſimum Virum.

THreïcio vates cecinit qui blandius Orpheo
  Dorvilius ſubiit tam cito mortis iter!
Cur tulit hoc Phoebus? cur ſuſtinuere Camenae?
  Cur auſa eſt Lacheſis praecipitare colum?
Nunc amor exſtincti nomen tuus ornat & auget,
  Et volitare facit docta per ora virûm;
Jamque peragrabunt terras monumenta repoſtas,
  Quîs fuerat Batavi ſpeſque decuſque ſoli.

FRANCISCUS VALLETTA NEAPOL.

** AD

AD

VIRUM CLARISSIMUM
JACOBUM PHILIPPUM D'ORVILLE,
J. U. D.

Humanitatis Studiorum in Illuſtri Amſtelaedamenſium Athenaeo Profeſſorem, defuncti Fratris Carmina edentem.

QUae mihi de rapto tua Fratre, Vir optime, venit
  Litera, non ſiccis eſt mihi lecta genis.
Indulſi lacrimis. Neque adhuc invenit acerbus
  Se dolor. Adſiduis fletibus ora madent.
Heu quam dura data eſt homini lex! Naſcimur, & nos
  Debemur certae, cunctaque noſtra, neci.
Non ſolum manet urna ſenem; ſed & ipſa juventus
  Labitur: infantes dant alimenta rogis.
Saepe flet oſſa viri, cui nuper nupſerat, uxor:
  Morte vel hanc ſubita vir periiſſe dolet.
Portitor inſignes exſpectat Avernus & imos.
  Nox eadem ſontes immeritoſque premet.
Vive pius: pietas morti non adferet ullam,
  Grata quidem Superis ſit licet illa, moram.
Occupat innocuos leti vis aſpera mores,
  Virtuti ſemper Styx inimica fuit.
Inſcia mens fuci, metuens peccare, nec ulla
  Labe notata, feri victima Ditis erit.

Nec

Nec quicquam coluiſſe bonas tibi proderit artes.
Tela per has etiam mortis iniqua volant.
Saevit in egregios, non exoranda, poëtas:
Atra ſacerdotes & tibi, Phoebe, rapit.
Nunc ubi, quos Latium dedit, aut quos Graecia, vates?
Effugere umbriferam num potuere ratem?
Nunc ubi, tu quorum Manes venerabere ſemper,
Amſtela, tot Batavi nomina clara ſoli?
Francius occubuit, Phoebi laus magna: nec illo,
Hoogſtratane, minor carminis arte, jaces.
Occidit & meritis & Muſa major utroque
Broukhuſius, patriae gloria prima ſuae.
Vivere ſed Pylios dignus Dorvillius annos,
Ille tuum, Critice, lumen honorque tuus,
Si prece, vel lacrimis potuiſſent Fata moveri,
Ante diem furva non tegeretur humo.
Non gravis hic ulli, non ulli obnoxius unquam,
Exemplum niveae ſimplicitatis erat.
Manſuram doctae famam tribuere Sorores.
Hae puerum monitis erudiere ſuis.
Quamvis ingeniis aevi, me judice, priſci
Aequandus vena carminibuſque foret;
Non tamen eſt animus per dotes ire Poëtae,
Tanta dedit ſtudii qui documenta ſui.
Acta ſed, & laudes quorum, ſine vate, laterent,
Hos dicat Clarius, perpetuetque, chorus.
Reſque domi, geſtaeque foris, celebrentur Avorum,
Commoda qui patriae praepoſuere ſuis.

 Nec

Nec quaerunt, nec egent blando praecone Poëtae,
  Eſt quibus aeternum Muſa datura decus.
Mors abolere nequit nomen memorabile vatum,
  Fama quibus crevit carmine, crevit honor.
Carminibus Frater vivet tuus. Illa legentur,
  Qui colet Aonidum numina, donec erit.
Carmina, fraternae monumenta perennia Muſae,
  Et pietatis erunt tot monumenta tuae.
Scilicet exſtincti, quae viſcera ſparſa jacebant,
  Colligis, & Famae (ſic meruere) dicas.
O utinam, quot amara Petro rapit Atropos, annos
  Adponat melior Parca, Philippe, tibi.
Sitque tibi propior Deus, & ſe praebeat omni
  Tempore: det facili ſpe potiora manu.
Sic annos alacer peragas Fratriſque tuoſque:
  Sic volitent curae docta per ora tuae.

ABRAH. ARN. VAN TOLL.

PETRI

PETRI D'ORVILLE
ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

CRITICE
AD
VIRUM CELEBERRIMUM
PETRUM BURMANNUM.

Ecqua ſacras doctis etiamnum tempora curis?
  Ecquid adhuc Muſae, quo tenearis, habent?
An modo divitias, lucroſaque penſa ſequentem,
  Te taedet ſteriles excoluiſſe Deas?
His incuſabas, memini, Vir maxime, nuper,
  Noſtraque purpureus tinxerat ora rubor.
Dî melius; corpuſque cinis prius occupet ater,
  Quam ferar Aonidas deſeruiſſe meas.

Nunc quoque, ephemeridas quoties mihi ponere fas eſt,
  Theſpiadum laetus grata vireta peto.
Quoque minus dubites, quamquam, rudis ipſe Camenae
  Conſcius, artifices tardor adire manus,
En mihi perpetuum Phoebi teſtantia cultum
  Pegaſeo nuper carmina nata ſpecu.
Sit modo fas vigili quid detraxiſſe labori:
  Luſibus & noſtris tempora parva vacent.
Fallimur? an ſtudiis tamen eſt mea Muſa ſeveris,
  Et, Burmanne, tuis non aliena ſacris.
Quidquid erit, tenui modulatos pectine verſus
  Accipe, qua Fratris carmina fronte ſoles.
Hoc mihi contingat. tetigiſſe videbor Olympum
  Vertice, Caſtalio vel placuiſſe Deo.
Jam nunc inſolitae veniunt in carmina vires,
  Surgit & a nutu Muſa probata tuo.

TEmpore per terras quodam celeberrima Grajas,
  Et patrio Critice nomine, Nympha fuit.
Sive cati ſit Atlantiadae digniſſima credi,
  Sive Jovis potius Mnemoſynesque genus.
Hanc neque ludentes niveis ſub matribus agni,
  Aut viridi pendens rupe capella juvat.
Non canibus luſtrat comitantibus avia ſaxa,
  Non pharetra ex humeris, aut fera tela ſonant.
Non legere it florum diſcrimina mille per agros,
  Innexura ſuis ſerta decora comis.
Nec choreae faciles inter placuere Napaeas.
  Capripedes Satyros & procul eſſe jubet.

Ne-

Negligit & formam, quamvis digniſſima cura
Illa foret. Pretium mens ſibi majus habet.
Mentis amat cultum, placet hanc ornare per artes
Seu, Pimpleï, tuas, ſive, Minerva, tuas.
Ergo animo vaſtum celeri percurrit Olympum,
Stellarum varias noſcere laeta vias.
Et modo telluris ſubiens penetrale jacentis
Eruit in caeco quae latuere ſinu.
Nunc peragrans terram, formasque ſitusque locorum,
Aequoraque, & memori flumina corde notat.
Nunc ſoles annique moras ab origine rerum
Digerit, utque fluant ordine ſecla videt.
Fataque veſtigat populorum, fataque regum,
Quae ſacra, quos cultus inſtituere Deûm.
Eſtque Machaonias quando devertit in artes,
Ad Themidos quando ſe quoque ſcita refert.
Prima ſed eloquio venit indulgere voluptas.
Hoc facit ad mores, ingeniumque ſuum.
Largaque facundae delectat copia Suadae,
Mellaque, quae dulci ſemper ab ore fluunt.
Ergo tecta ſibi, vario ſplendentia topho
Antra legit, Pindi non procul antra jugo;
Unde Heliconiadum vocales viſere lucos
Poſſit, & Aonio fonte levare ſitim.
Sic Cumaea ſpecus coluit ſub rupe Sibylla,
In foliis ſervans carmina plena Deûm.
Saepe tamen viſa eſt homines adiiſſe, coronae
Palladiae dotes explicitura ſuas.
Nempe fuit felix aevi ſors iſta prioris,
Vatibus antiquis ſi ſit habenda fides,

Quum genus humanum manifeſto in lumine Nymphae,
  Deſertoque Tonans viſeret ipſe polo.
Hic aliquis Criticae ſacras optavit in artes
  Admitti, facilem rite precatus opem.
Cui, quod dignus erat, vel quod non invida Diva,
  Dicitur has leges ore dediſſe ſacro.
Militiae cupies quisquis dare nomina noſtrae;
  Haec fluere ex animo ne mea dicta ſinas.
Sin minus, invidiam pro laude merebere certam.
  Te decora ampla manent, ſi mea juſſa facis.
Nec tamen eſt animus monitis comprendere noſtris
  Omnia. plura dies, uſus & ipſe dabit.
Crede mihi, ancipitis plena eſt haec alea caſus:
  Suppoſitosque ignes cana favilla tegit.
Dormitare tibi quoties credetur Homerus,
  Forte tamen vigili mente peregit epos.
Laude ſua numquam libeat fraudare merentes.
  Cenſorem quoties egeris, aequus age.
Sed neque ſuppliciis Phalarin mireris ovantem:
  Nec quemquam, facinus cui levis error erit.
In veniam pronus, cauſſas bonus arbiter omnes
  Excute, ſi minui nomine culpa queat.
Tu maculam, caſu ſi pulcra notaverit ora,
  Aufer Paeoniae ſedulus artis ope.
Ergo nec veteris carioſa volumina dextrae
  Sit cauto nimius conſuluiſſe labor.
Haec tibi ſint praeſto. noſtri maris aequor aranti
  Haec Helice naves, haec Cynoſura regat.
Haec, modo quid peccet, doceant, dictantis ab ore
  Si qua male excepit, praeteriitve manus:

Quid

Quid modo in exeſis delinquat adultera chartis;
Viſaque docta ſibi dextera, docta parum.
Hinc cauſſas reperiſſe mali, luxataque membra
Non vulgare puta reſtituiſſe decus.
Si tamen in facili morbo, plagave patente,
Auxilii videas inde venire nihil,
Ductibus inſiſtens pravae, conabere, dextrae,
Commoda ab ingenio ſubdere verba tuo.
Sed caveas, moneo, male ne videaris abuti
Mentis inexhauſtae luxuriante penu.
Ingenium frenis, virtus eſt magna, coërce,
Nec cerebri obtrudas ſomnia vana mihi.
Lumine nam veri niſi commendabilis ipſo
Conjectura mihi nulla placere poteſt.
Nec tibi ſit non poſſe malum ſanare pudori.
Indicium morbi praemia certa manent.
Quum veterum mores aliquid, ritusque latentes,
Nocte vel obſcura ſecla remota tegent,
Strenuus aſſidua ſcrutabere ſingula cura,
A tenebris poſſis ſi retuliſſe diem.
Omnia mutandi rapiet ſi dira libido,
Hei mihi! quot ſtrages, quantaque damna dabis.
Exagitet numquam talis veſania mentem.
Hanc fuge, calcato ceu quis ab angue fugit.
Pieridum potius protectis civibus ornet
Conſervatrices querna corona fores.
Non tamen & metues ſtolidae conamina turbae;
Quin jubeo, merito proſtituiſſe joco.
Ingenio tum vela tuo licet omnia pandas.
Et vento & remis tum tua navis eat.

Ocyus indoctos de culmine dejice Pindi,
  Aonioque ſcabrum de grege pelle pecus.
Jam mihi fac pereant, genus intolerabile, fuci,
  Gnavaque apis tuto mella labore legat.
Hic quoque, qui plumis alienis graculus audax
  En nitet, & vana pectora laude tumet,
Furtivae exutus ſpoliis fulgentibus alae,
  Ad proprias multo fuſte fugetur aves.
Autolycis obſeſſa feris ſacra ſaxa videre
  An potes? ultrici nec rapis arma manu?
Talibus a monitis remeantem forte per agros
  Vertice de bifido vidit Apollo Deam.
Ac Cyrrha delapſus adit, dotesque requirit,
  Dum niveum cupido lumine corpus obit.
Nulla mora; incaluit, formamque & amabile pectus
  Arſit, uti Daphnen arſerat ante ſuam.
O quoties citharam ſumſit, qualesque placerent
  Auribus exactis edidit ore ſonos:
Compoſitasve parum percuſſit pollice chordas
  Experiens, judex an foret aequa ſatis:
Nec timuit culpam deprenſus ſponte fateri,
  Veraque mirari judicis ora ſuae.
Saucius ardores quoties ah! carmine, amantis
  Nomine ſub ficto, retulit ipſe ſuos!
Carmine, quo poſſit molleſcere torva leaena,
  Et ponat tumidi quamlibet ira maris.
Ipſa quidem nullos aeſtus per pectora ſentit,
  Et lenta cupidos excipit aure modos.
Ut decuit tamen hos, nil non laudabile cernens,
  Comprobat, inſidias neſcit at eſſe ſuas.

Quum

Quum Deus exultans ſecum, Jam vincimus, inquit.
  Ominor, in thalamos ibit, eatque, meos.
Quid moror? exſpectat, fiam confeſſus amator.
  Heu! tacitus votis obſto quid ipſe meis?
Talia ſperabat prius in Peneïde Nympha,
  Quum miſer auguriis excidit ille ſuis.
Atque ita, Ne fingi credas hos, Vita, calores,
  Si neſcis, animi flamma ea vera mei.
Urimur, utque diu clauſus magis aeſtuat ignis,
  Vix capiunt nimias pectora noſtra faces.
Non dubito ante tuos, O formoſiſſima rerum,
  Ecce Deus ſupplex procubuiſſe pedes.
Tantum ne placeam minus, ut ſum faſſus amantem,
  Quam modo, cara, tibi me placuiſſe liquet.
Nunc pariter cantusque meos, flammasque fideles
  Incipe judicio, Nympha, probare tuo.
Ne dubita. turpi non compellaris amore.
  Quin petimus ſancti nil niſi jura tori.
Sic quasvis habitem tecum, dulciſſima, terras.
  Sed potius mecum culmina noſtra petas.
Ipſe ego te lauru fragrantia viſere Tempe,
  Parnaſique dabo ſceptra tenere jugo.
His regina locis veneranda, novemque ſedebis
  Diva inter doctas doctior ipſa Deas.
Quid caput avertis? tibi num facundia viſa eſt
  Pro domino pejus, quam modo, noſtra loqui?
Ut tamen hoc ita ſit, certe promiſſa probare,
  Quaeque tibi porto ditia dona potes.
Utque nihil portem, rutilus placuiſſe capillus,
  Ac juvenile poteſt ſemper in ore decus.

Spernimur ah! video, ſpretusque ego perdere fruſtra
  Suſtineo ſurdis mollia verba Notis.
Talia dicentem ſubita formidine fugit,
  Agna velut ravis obvia facta lupis.
Quo fugiſſe tamen? nam pes neque ſentibus aſpris,
  Spiritus aut longis curſibus aptus adeſt.
Jamque inſtans Phoebus, Fruſtra fugis, improba, clamat.
  Ecce mea es, noſtra te teneoque manu.
Et tenuit. pallor ſimul inficit ora retentae.
  Et genibus, toto Nymphaque corde tremit.
At, licet igne calens, trepidanti Cynthius inquit,
  Pone age ſollicitum pectore, pone metum.
Nunc quoque te precibus, meritisque ego flectere conor,
  A Phoebo tibi vis nulla timenda tuo.
Quod tibi dem puri documentum majus amoris!
  De me quod pignus certius ipſa petas!
Vocibus his paullum ex magno collecta pavore
  Mens rediit Nymphae, ſed tamen uſque pavet.
Sic pelagi non omnis abit murmurque tumorque,
  Ventorum quamvis jam poſuere minae.
Quid faciat? caſtum metuit violare pudorem.
  Et periiſſe, truci ſi neget ore, putat.
An ſimulet? male ne ſimulatum prodat amorem
  Ipſa, timet. verum ſtat ſimulare tamen.
Osque ſimul finxit, fictoque quid annuit ore,
  Invitisque genis oſcula paſſa rapi eſt.
Hoc ſatis in praeſens ſinat eſſe, precatur amantem,
  Nec ſperare tamen poſtmodo plura vetat.
At ſpe Phoebus ovans, Jam nunc, Styx audiat ipſa,
  Inter, ait, Divas prima colere novem.

Dicta

Dicta fides ſequitur. Criticen juga ſancta receptant:
  Sacraque cultrici non caruere manu.
Tunc rata ſe tutam manifeſto denegat ore
  Foedera, & illuſo gaudia vana Deo.
Sceptra tamen retinet Stygia data teſte palude,
  Oblataeque preces, farraque tusque juvant.
Saepe quidem Phoebus, crudelem pone rigorem,
  Saepe, tui, dixit, pectus amantis ama.
Aſt ubi blanditiis frangi praecordia nullis,
  Seque etiam ſperni poſt ſua dona videt;
Deſtitit ingratam, ſic fertur, amare, palamque
  Deſerit. at tacito vulnera corde premit.
Ac ducis exemplum ſimul omnis Muſa ſecuta
  Neglectae Critices limina nulla colit.
Non tulit hoc, Phoeboque dolet Muſisque jacere:
  Et furiae ſpretam, triſtis & ira ſubit.
Saepe repentino veluti lymphata furore
  Fingit in Aonio turpia multa Deo:
Aut culpat formaeque decus, flavosque capillos,
  Commeritaeve nihil plectra canora lyrae.
Saepe inviſa fovens animo faſtidia, terſum
  Ipſis Pieriſin carpere gaudet opus.
Mutat & in ſaevam modo mite tyrannida regnum,
  Eque pia fieri viſa cruenta Dea eſt.
Atque ardens odio, cultorum incauta ſuorum
  Corda ſubit, ſtimulis exagitatque novis.
Ac conſultanti praecepta nocentia tradit,
  Nil metuens dotes proſtituiſſe ſuas.
Tune, ait, in chartis haeres ſine fine pereſis?
  Crimen & has ingens deſeruiſſe putas?

Ingenium ſepto, neſcis, includis iniquo.
  Me miſeram! in nomen ſemita ut arta patet!
At tibi jam per nos aperitur maxima laudum
  Area, & ad famam qua via lata ferat.
Tempus ad hoc vana pietatis imagine luſo
  Exhibita eſt timida cauta medela manu.
Crede mihi aetatis revereri ſcripta vetuſtae
  Vana ſuperſtitio eſt, ingenioque nocet.
O ne decipiant multae te nomina famae,
  Pluribus & ſeclis continuatus honos.
Lyncis at hic oculis utendum: nullus & error
  Infamem effugiat, cenſor acute, notam.
Tu timidos curare malum ſine mollibus herbis.
  Ignis, ferrum, animos condecuere mares.
Membranas veteres alii, ceu litora, ſervent,
  Qui metuunt medio credere vela freto:
Sit tibi fas aura divinae fidere mentis.
  Hac duce nec fluctus nec fera ſaxa time.
Non medicina malo cuivis praeſentior ulla eſt.
  Certior artifici gloria nulla venit.
Talibus atque aliis nimirum impellere dictis
  Sueverat in pejus pectora prona virûm.
At mala quot furiis manarunt quantaque ab iſtis!
  Damna quot Aoniſin turba proterva dedit!
Carnificem quoties ſanis dare vulnera vidi,
  Quae medici tota vix levet arte manus!
Vel flammis ſegetes periere ob inutile gramen,
  Quod non difficilis tolleret inde labor.
Quid referam durae cenſoria verbera linguae,
  Quum patrius Livî ſordet in ore ſonus!

Cri-

Criſpus & hiſtoriae leges noviſſe negatur!
  Et Tacitus tenebris horret ab ipſe ſuis!
Quum tua, Pellaci juvenis clariſſime praeco,
  Pagina culparum mille peracta rea eſt!
Quin etiam Pithûs Cicero pater ipſe Latinae
  Verba, ſed a rerum pondere nuda, crepat.
Quodque nefas, ſacris non legibus abſtinet unguis;
  Sentit & impuras litera dia manus.
Nil adeo ſanctum liquit veneranda vetuſtas,
  Sacrilegi dextram repulit unde timor.
Sed tamen in veteres graſſari haec turba poëtas
  Maluit, Aonios laedere nata viros.
Ilias ipſa mihi teſtis tua, maxime vatum,
  Carminis heroi ponere juſſa decus.
Ergo, Maeonide, quanto ſapientior ille;
  Qui ſtatuit frondes caedere falce tuas,
In totidemque libros artavit carmina Trojae,
  Per quot ſigna ſuum Cynthius explet iter!
Paſtoreſque tui, terrae laus prima Sicanae,
  Simichida, crimen ruſticitatis habent.
Et tamen hic Suadae, ſi diis placet, arbiter unus,
  Pars labem eloquii ſana vocare ſolet,
Thaidaque & Phrynen duros locat inter agreſtes,
  Et calamiſtratis ſtipat ovile viris.
Hoc tua teſtantur coeleſtia carmina, Flacce,
  Carmina inhumanis dilacerata modis.
Tu verſus poſitu variaras ipſe, niteret
  Alter ut alterius proximitate magis.
Floribus hinc illinc lectis ita virgo decorem
  Conciliat textu verſicolore novum,

Di-

Diſtinguit triplici legionem ita milite ductor,
Deſtituat captum ne labefacta locum.
Quid juvat? en critica turbat peregrinus in arte
Ordinibus validam tiro phalanga ſuis.
Ruſticus en, plexam Phoebo monſtrante, corollam
Suſtinet indocta diſſecuiſſe manu.
Haud ſecus Argolico jacuerunt litore quondam
Hippolyti fractis membra cruenta rotis.
At ſi quid gelida ſentit Venuſinus in umbra,
Famaque Lethaeos tranſilit iſta lacus,
Inſano capiti pro tam crudelibus auſis
Dira Lycambeo carmina more canit.
Rodere quod Muſam petulanti dente Maronis,
Deſpicere ingenium ſuſtinuitque viri,
A caliga dictus Fatui ſibi Caeſar inuſtam
Retulit ab juſta poſteritate notam.
Ecce tuos alius tamen, o divine Poëta,
Audet ut exiles inſimulare modos,
Nugaceſque vocans, & majeſtatis egentes,
Vix ſe, vix Bavium poſſe decere putat.
Nunc ego quid memorem, non quidquam ut ſanior alter,
Ille pudor ſecli ludibriumque ſui,
Praetulit Argivae, ſtupefacta Pallade, Suadae,
Praetulit eloquio, Roma diſerta, tuo,
Illineret levibus quidquid plebs Francica chartis,
Sermonis patrii plebs ſtudioſa nimis?
Sic etiam, longas cui mox Deus addidit aures,
Stultitiae teſtes ut ſine fine forent,
Suſtinuit, Tmolo victorem judice, Phoebum
Arcadio Pani poſtpoſuiſſe Midas.

Il-

Illius an mirer praecordia pinguia, cujus
  Judicio Aſcraei carmina vatis hebent,
Et modo cum Scythicis nivibus de frigore certant,
  Aut capite annoſae nata videntur anus;
Paſcentem pecudes quamvis Helicone ſub alto
  Dignata alloquiis Calliopea ſuis,
Ac viridi e lauru baculum coeleſte canenti,
  Fatidicam mentem, melleaque ora dedit?
Num magis indigner, quum non imitabilis ulli
  Dircaeae Cliûs vapulat ipſa chelys:
Pulcraque crudeli mutilatus membra ſecuri
  Teïus heu! luget corpora trunca ſenex?
At contra inſolitas alius ſtupet arbore frondes,
  Inſitaque audaci poma aliena manu.
Ille dolet fracto verſus incedere talo,
  Carmina menſuram nec capere ipſa ſuam.
Alter in exilium Syllis projecta cruentis
  Ingenii moeret pignora cara ſui.
Parva queror: mentis veſania ſumma procacis
  En ſuperat, ſeclis vix habitura parem:
En nota, non unum, pariter ſtrictura ſed omnes,
  Quot prior auctores protulit ulla dies.
Excipe nam curſus Ithaci, Trojanaque bella,
  Herodoti Muſis ſcripta dicata novem:
Excipe ſermones Flacci, Plautique lepores,
  Virgilii ſegetes cum Corydone ſuo:
Excipe cum paucis Plinî mirabile textum,
  Naturae gremio cuncta foventis opus:
Cetera, cenſorem helleboro purgate furentem,
  Non ſua mentita nomina fronte gerunt:

Ce-

Cetera ſunt, blaterat, commenta recentibus aevis;
Arte ſceleſtorum ſtructa doloque virûm.
Zoile, magna tuae, at vetus eſt infamia culpae,
Expleta & numeris jam tua poena ſuis;
Sin minus, at ceſſes liceat paulliſper, ut horum
Infames ſubeant nomina dira vices;
Per quos Invidia Critice Momoque creata,
Dignaque Tartareos creditur ire lacus.
At te, Phoebe, gravi liquet indoluiſſe furore,
Conſiliique olim poenituiſſe tui.
Diceris o quoties medicas tentaſſe per artes,
Priſtina ſi poſſit mens rediiſſe Deae.
Nec fruſtra; ſiquidem ceſſere potentibus herbis;
Phoebeaque animi ſunt mala victa manu.
Ut rediit ad ſe, rabidi monumenta furoris
Quam maris optavit mergere poſſe vadis!
Quam ſibi, quos habuit furiarum iraeque miniſtros,
Cultores odio jure fuere mali!
Quod potuit, meritis ingentibus obruit iſta,
Nec levibus niſa eſt damna piare bonis.
Sive ad Scaligeros modo ſe, doctoſque Valeſos
Contulerit; Critici nomina quanta chori.
Sive Caſaubonio ſacratam pectore ſedem,
Vel mox Salmaſii mente capace locet.
Teve Italis myſtam, Victori, legerit oris,
Teve, Urſine, ſibi, teve, Faërne, ſibi.
Artificive manu fingat Stanleïa corda,
Qua geniis magnis terra Britanna favet.
Reineſiive aciem fuerit mirata, ſagacem
In lapide inciſas explicuiſſe notas:

Quo

Quo prius, adgreſſus duras ſuperare ſalebras,
Tramite Gruterus nomina clara tulit.
Seu magis antiſtes placuit Gronovius artis,
Lucentemque viro praetulit ipſa facem.
Vel dedit auſpicium, patriae dum finibus orae
Barbariem forti pellis, Eraſme, manu.
Alite ſeu divam fauſto coluere volentem
Grotius, omne tuum, Delphica terra, decus:
Et pater Heinſiades, Critica tam laude ferendus,
Quam celeber Graja, Romuleaque lyra:
Heinſiadaeque nihil proles ceſſura parenti,
Vulnere confoſſis vatibus una ſalus:
Broukhuſiuſque, malis terror flagrumque Vacerris,
Unicus & docti Graevius orbis amor.
Provida quotque viros delectu Diva ſagaci
Artibus inſtituit, praepoſuitque ſacris.
Quorum pars memori conſervavere nepoti
Scripta vetuſtorum jam peritura virûm:
Pars, acie mentis vigilem comitante laborem,
Luce ſerenarunt ſecula priſca nova.
Pars prolem adſeruere, nothis dubiiſque repulſis,
Cuilibet auctori per rata ſigna ſuam.
Pars quoque Muſarum ſegetes populantia monſtra
Adgreſſi Herculea perdomuere manu.
At mihi perpetuum ſalvete heroa propago,
Quos merito aeternus lumine veſtit honor.
Tuque o Diva mihi ſalve, nova cura Sororum,
Rurſus amor Phoebi deliciaeque tui.
Tu, Burmanne, adeo ſalve, recidiva perennant
Vindice quo Criticae fama decuſque Deae.

Nem-

Nempe ſacerdotem ſucceſſoremque petivit
  Jam pridem heroum te ſibi jure virûm.
Ac tibi Diva favens dixit, bene gnara futuri,
  Adſertor veteris tu mihi laudis eris.
Nam tibi continget mentis virtutibus altae
  Arte mea inſignes aequiparare viros:
Opprobriumque, uſus ſapienter munere noſtro,
  Omne piis demes, invidiamque ſacris:
Auſaque contundes turbae ſcelerata profanae;
  Vindice contorquens ſpicula certa manu.
Quin mihi Myſtarum nova te ſeges auſpice ſurget,
  Formata in cultus pectora rite meos.
O faciant nentes mortalia fila Sorores,
  Gaudeat ut longum flamine Diva ſuo.



I

PETRI D'ORVILLE
ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

Villae Paternae Deſiderium.

JAm ſatis aſſidui me detinuere labores;
 Sive Atlantiade, ſive Minerva tui;
Jam ſatis inviſae ſtrepitus urbiſque tumultus
 Optata requie me vetuere frui:
Dum mihi ſic longae ducuntur tempora Brumae,
 Dum mihi ſic teritur Veris amica dies.
Ac nunc Ver rurſum properavit condere vultus,
 Pro quibus aeſtivi ſideris ardor adeſt.
Nec dum frugiferos mihi viſere contigit agros,
 Commoda nec placidi ruris amoena ſequi.
At jam continuos ſtat tandem abrumpere curas,
 Sollicitoſque urbis deſeruiſſe lares.
Paullum & ephemeriſin juſſis tabuliſque valere,
 Tranquillo reſides ducere rure dies.
Silva ſub Harlemiae conſurgens moenibus urbis,
 Accubat ad ripas, Sparne jocoſe, tuas:
Clara frequentato Nymphis Satyriſque receſſu:
 Sed magis, ô Witti, carmine clara tuo.

Haud procul Heemſtedii tollunt ſe nominis arces,
Sparnus regnatae ſceptra ubi ſumit aquae.
Et tereti naſſae, & venatibus apta jugoſis,
Et, modo dum pluviis non caret, ora ferax.
Temperies coeli, recreare ſalubribus auris
Membra catenato feſſa labore potens;
Atque aditus facilis, ſeu cymba, ſive citatis
Fiat iter mannis, dos quoque magna loci.
Hic gens Amſtelidûm, cupiens ſeponere curas,
Villarum ſerie continuavit humum.
Ultimaque has inter non fertur Villa Paterna,
Quae ſua de Viridi nomina Valle tenet.
O requies, noſtri o lenimen dulce laboris,
O merito votis Villa petita meis!
Illa quidem vaſtos non ſe diffundit in agros:
Contemnenda tamen nec brevitate ſua eſt.
At paullum, placidis adeo ſeceſſibus apta,
Devia, quo rara fert via trita rota.
Oppida magna colat, ſi cui ſtrepituſque, fragorque,
Et placeat tantum ſemita plebe frequens.
Non hic Oebaliis conſurgunt atria ſaxis:
Membra vel urbanus cetera luxus habet.
At ſpatioſa ſatis, veniat ſi crebrior hoſpes,
Paganoſque decent qualia tecta lares.
Occidua de parte domûs pomaria vernant:
Temperat Eoas ſilva venuſta faces.
Fructibus ad plenum pomaria fida gerendis:
Sint pyra, ſeu malum, ſeu genus omne nucum.
Seu natum Ponto ceraſum, & lanugine pruna
Mollia, & Armeniis poma relata plagis.

Uva-

Uvaque decertans Tyriae cum murice conchae,
  Moraque ſanguineis nunc quoque rubra notis.
Multaque praeterea, quae non Amaryllis amaret
  Immerito, & velles, tu Galatea, tibi.
Atqui pace tua, quamvis proventibus, Horte
  Pomifer, uberibus jure placere potes:
Se mihi vel ſterili lucus commendat ab umbra
  Non minus, & crebris frondea teſqua viis.
Hic ubi, flammigeros quamquam ſol incitat axes,
  Semper oberrantem frigora grata juvant.
Hic ubi conſociant umbracula fagus, & ingens
  Aeſculus, & magno quercus amata Jovi.
Ac tiliae molles, & frondis populus albae,
  Populus Alcidae grata corona comis.
Nec patula ulmus abeſt, neque abeſt tibi ſacra, Gradive,
  Fraxinus, & quas non hic numerare vacat.
Hinc ſolem ad medium viridans ſe molliter effert
  Collis, & in ſummo parva diaeta jugo:
Parva quidem, ſed proſpectu non parva patente,
  Ac domino, paucis hoſpitibuſque ſatis.
Quam juvat! ad paſtum ſeu mane cuniculus exit,
  Seu juga defeſſis ſol ubi demit equis;
Et memini, qui pro paſtu ſua fata cupito
  Iſtis invenit, me feriente, locis.
Quam juvat hic luſus exercentemque choreas
  Cernere monticolam per juga ſumma gregem!
Aut e contiguis umbris audire volucres,
  Cantibus accendunt quae nemus omne ſuis.
Nec minus interea oblectat, quae colle ſub imo
  Adpoſitam per aquam plurima ludit anas:

Quaeque frequens illuc ſuevit properaſſe columba
  Cannabis ad notas, pabula grata, dapes.
At ſi magna, boves, poſſunt armenta juvare
  Forte magis, procul hinc paſcua laeta virent:
Quo me deducit tiliis celeberrimus ordo,
  Deliciiſque novis angulus iſte placet.
Nam nemus aequatis ſpatiis facit ulmus & alnus;
  Vibrantis radios ſideris inſtar ineſt.
Hinc modo ſpecto greges, tondent dum gramina campi,
  Vel revocant paſtum rurſus in ora cibum:
Biſque die ſub ſepta ferunt turgentia lacte
  Ubera, quae palmis gnava colona premat.
Harlemius, fremitu conſurgens ſaepe marino,
  Luminibus ſiſtit ſe lacus inde meis:
Nec mihi nocturnis ſemotior officit auris;
  Fercula ſed percas mittit opima ſuas.
Hinc quoque velivolos datur obſervare phaſelos,
  Qui procul hinc Sparni lubrica dorſa ſecant.
Culminaque Heemſtedius tollit fumantia pagus.
  Arx etiam arboreis emicat alta comis.
Laeva quidem regio ſteriles oſtentat arenas:
  Ac filice & muſco vix juga tecta ſuo:
At tamen haec ſpectans nil curo tonſile buxum,
  Quique novo celat more lapillus humum.
Aptius hoc cultu decoretur Adonidos hortus:
  Alcinoi his ſimulet ſcaena vireta modis.
Vos licet oblectet pictorum pergula vana:
  At Natura mihi ſimplicitate placet.
O quis ad Heemſtedii ducat me florida Tempe!
  Ad loca, perpetuum quae colit alma quies!

O quis

O quis me urbano ſtrepitu curaque remotum
  Devehat in ſaltus, ora beata, tuos!
Eia age, currus, ades, velocibus acte caballis;
  Eia age ſperatis me cito ſiſte jugis.

ELEGIA II.

Ad Amicos,

Ut ſuum ipſis Nonis Octobribus natalem celebrent.

HUc dulces properate mei, properate Sodales,
  Feſtaque ſolemni dicite verba die.
Haec eſt illa dies, ortus quae conſcia noſtri
  Vitales auras ducere prima dedit.
Haec celebranda venit: circumdate tempora ſertis;
  Mox flores capiti Bruma negabit iners.
Natalique, comam nardo fragrante madentes,
  Libemus veteris pocula terna meri.
Et ſemper redeat felix, meliorque, precemur,
  Intacta ſemper candidiorque nive.
Mox totidem in Bromii ducamus patris honorem,
  Formoſo Charitum mox totidemque choro;
Mox Phoebo; & turbae ter pocula terna novenae.
  Cum populo numerus convenit iſte ſuo.
Ordine mox omni poſito, mixtimque bibamus:
  Et magnum cyathos ſit numerare nefas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sint procul a nobis & cura & ruga ſenilis:
Non facit ad luces illa vel illa ſacras.
Neptunus ratibus, ſi quid meditabitur Auſter,
Sponte dabit dubias ire redire vias.
Ac ſi forte Cilix merces captabit opimas,
Cymodoce Cilicas ſub vada caeca vehet.
Nunc decet, & fas eſt, dulci maduiſſe Lyaeo,
Et terram facili ter pepuliſſe pede:
Nunc blandos audire jocos, audire lepores,
Nunc placidos riſus innocuosque ſales:
Nunc ſua non dubio profiteri gaudia vultu:
Carminibus totam nunc reſonare domum.
Carmina, fraterno debes quae, Frater, amori,
Aonio multum Frater amate Deo.
Quaeque Hogenbergi, quaeque O dilecte Sibersma,
Et debes ſocio, Jane jocoſe, tuo:
Tuque, Oudendorpi, doctarum cura Sororum,
Et tu ſpes clari maxima, Honerte, patris.
Carmina debentur: genialia carmina, Amici,
Reddite natali debita quisque meo.
Sic Heliconiades veniant in vota Puellae:
Praeſtet & Aoniam Cynthius ipſe lyram.
Sic quoque poſſitis longae per tempora vitae
Ducere felices, & ſine nube dies.

ELEGIA III.

In Obitum

Celeberrimi Doctiſſimique Viri

HADRIANI RELANDI.

ITe piae lacrimae, voceſque doloribus aptae;
Si quando, querulus nunc ſit in ore ſonus.
Horrida pro citharis cantet tuba flebile laetis.
Legitimi luctus cauſſa, Relande, jaces.
Nempe jaces, Vir magne, & te quoque fata tulerunt
Invida, nec tantum pertimuere nefas.
Nec tibi quid prodeſt ſacras per Pallados artes
Egregium ſtellis inſeruiſſe caput:
Limina nec canae nondum tetigiſſe ſenectae.
Infelix juſtam raptus es ante diem.
Neſtoream, ſi quem, decuit te vivere vitam;
Te Phrygii, ſi quem, tempora longa ſenis.
Improba ſub mediis nunc te Nex abripit annis.
Et quisquam lacrimis abſtinuiſſe queat?
Ille oculis nati ſpectaret funera ſiccis,
Ille ſui patris, conjugis ille ſuae.
Adſpice, convulſis Ultrajectina capillis
Ut ſedeat Pallas, funere moeſta viri;
Ut gemat, ut latas ululatibus impleat auras,
Nec valeat lacrimas continuiſſe genis.

Et merito. praeclara ſui nam fama Lycei,
  Ac columen validum, dum fuit, ille fuit.
Quid referam, doctum ſibi quîs devinxerit orbem
  Saepius, aeternis edita ſcripta notis?
Quidve illi Latium patuiſſe, quid Hellada totam,
  Atque Oriens quidquid dives ubique tenet?
Carmina quid referam, quae doctas poſſe Sorores,
  Quae dicas Clarium poſſe decere Deum?
Nunc quoque, ſi qua fides, vultu miſerabilis aegro
  Flere necem vatis dicitur ille ſui.
Qualiter in cari doluit vix funere nati,
  Curribus exciderat quum miſer ille ſuis.
Huic comitem in planctus ſe dat partemque doloris
  Pieris indignas quaeque notata genas.
Proque lyra moeſtis pulſant ſua pectora palmis,
  Dilaniantque ſinus, dilaniantque comas.
Nec minor in terris luctus graſſatur ubique:
  Sollicitos gemitus angulus omnis habet.
Flet circum infelix miſera cum conjuge proles,
  Illa patrem carum, ſed vocat illa virum.
Diſcipuli rapto plorant ſua damna magiſtro:
  Conſortes operis fata cruenta gemunt.
Et quacumque focis adolentur tura Minervae;
  Quiſque velut privo funere myſta dolet.
Seque pater Rhenus, corpus ne ſpectet inane,
  Ipſe ſuis aucta fletibus abdit aqua.
Nec tamen iſte dolor tantum vicina pererrat,
  Quamlibet extremas occupat ille plagas.
Luget Iber, moeſto luget cum Teutone Gallus;
  Et latices potat qui, Tiberine, tuos:

Cum

Cum Parthis quoque luget Arabs, Meduſque, Syruſque.
  Implerat meritis ſolis utramque domum.
Scilicet uſque adeo fera mors dominatur ubique,
  Et nihil infauſta non petit illa manu.
Illa malos juſtoſque rapit diſcrimine nullo,
  Illa caſas humiles celſaque tecta ſubit.
Ingenii at bene quod maneant monumenta feracis,
  Et nequeant ullis illa perire rogis.
Vivitur, aeternos his & duratur in annos:
  Poſtque ſuos cineres quis ſupereſſe poteſt.
His etiam, quotquot venient ex ordine, vives,
  Secula, nec totus, magne Relande, cadis.
Dum tellus, dum pontus erit, dum lucidus aether,
  Cynthiaque in niveis conſpicietur equis,
Et Titan radiis fulgebit cinctus acutis,
  Semper erit toto nomen in orbe tuum.
Quid gaudes, ſpoliis quid, Mors laetaris in iſtis?
  Vana, tenes minimum, corpus & oſſa, viri.
Parte ſui duras fugit meliore catenas:
  Jam maria & terras ſub pede ſpectat ovans.
Perque poli exultans formoſas ambulat arces,
  Delicias animo vix capiente novas.
Atque illic liberque malis, curaque ſolutus
  Cum ſummo gaudet vivere poſſe Deo.
Interea extremos illi ſolvamus honores,
  Demus & exequias, debita dona, pias.
Non tamen Oebalio tumulus de marmore ſurgat;
  Vel ſolido titulos aere columna canat.
Haec alius ſperet. longe monumenta reliquit
  De ſe victuris nobiliora notis.

Et quo jam maſſae peregrinaque marmora nobis?
  Conſtituat tumulum pectore quiſque ſuo.
Manibus inferias illic ſolviſſe quotannis,
  Et ſtata more pio ſacra tuliſſe juvet;
Solemnique juvet gemitu renovare dolorem,
  Verbaque funerea dicere digna die.
Accedant lacrimae foedata per ora ruentes.
  Hae vini, hae laticis, lactis & inſtar erunt.
Et decet, & meritas portabimus annua ad umbras
  Dona. fave ſacris Vir modo magne tuis.

ELEGIA IV.

AD FRATREM

JAC. PHIL. D'ORVILLE

De Sua Vivendi Ratione.

STat vetus & ſpiſſis denſiſſima ſilva tenebris,
  Undique gramineo ceſpite vernat humus.
Rivulus in medio vitreis argenteus undis:
  Nympharum, Frater, dixeris eſſe domum.
Hic, ut eram vacuus curaque metuque, vagabar:
  Nec tamen ex toto deſidioſus eram.
Namque inerant manibus vatum genialia ſcripta,
  Pectoraque adflarant numine noſtra ſuo.

Quum

Quum ſubito vidi, vel me vidiſſe putavi,
  Adſtare ante oculos corpora bina meos.
Non facies humana illis, & lucida nimbo
  Tempora, mortali formaque major erat.
Implebantque locum ſpirantes vertice odores
  Ambroſii. licuit noſcere adeſſe Deas.
Primaque per vacuum coeli delapſa Poëſis
  E cultu nobis ſit manifeſta ſuo.
Candida veſtis erat, nullo fucata colore;
  Credibile eſt puri pectoris eſſe notam.
Ridebant vario fluitantes flore capilli:
  Dextrae onus incurvae tinnula fila lyrae.
Laevaque cum plectro geſtabat laurea ſerta;
  Serta poëtarum circuitura caput.
Mercatura ſimul ſublimi fronte ſevera
  Venerat, ornatu conſpicienda ſuo.
Armillas manibus, dederatque monilia collo,
  Cingebat rutilas gemmea vitta comas:
Quodque erat in laeva, ſceptrum regale decebat,
  Dexteraque adgeſta lance tenebat opes.
Atque ait illa prior; Maleſane quid arida Pindi
  Non profecturo ſaxa labore colis!
Utilius noſtram tu provolveris ad aram;
  Cui nemo incaſſum turea dona dedit.
Hinc tibi opes creſcent, merces hinc foenore magno
  Ditabunt dominum, me faciente, ſuum:
Argentique tibi portabunt pondera & auri
  Gemmifero naves Gangis ab uſque ſinu.
Quid juvat in veterum curam diſperdere ſcriptis?
  Volvere quid Grajos nocte dieque Sophos?

Sci-

Scilicet altarum ſollers prudentia rerum,
Et dos ingenii quaeritur inde tibi.
Quidquid erit; melius dabit iſta pecunia ſola;
Sola ſub arbitrio continet iſta ſuo.
Tu mihi da Battum, & magnas ſimul adjice gazas;
Si velit, eloquio Tullius alter erit.
Et quantum nummi, tantum ſapientia creſcet:
Provida mens veniet divitiiſque comes.
Tum multos etiam poteris numerare ſodales,
Confluet ad plenam denſa caterva domum,
Turbaque adulatrix blando ſermone vocabunt
Te regemque ſuum, te dominumque ſuum.
At tibi quae poterunt doctae bona ferre Sorores?
Ingrato dederis cur tua tura foco?
Num facit ad victum carmen? num carminis artes
Reddere cultori magna talenta ſolent?
Nimirum hinc vates tot, paupertate premente,
Vix aegre vitam ſuſtinuere ſuam.
Forte petis famam, totumque hinc poſſe per orbem
Caſurum numquam nomen habere putas.
Falleris, & neſcis; jam ſunt ſine laude Camenae,
Jamque bono vati nullus habetur honos.
Tu ſis vel Sophocli, vel magno aequandus Homero,
Andinis cedat nec tua Muſa modis;
Forſitan, egregio qui carmina facta labore
Ex meritis celebrent, unus & alter erunt.
Si tibi mens avida eſt laudis, praebebimus illam;
Junctaque divitiis nomina magna feres.
Solis ab occaſu, ſolis noſceris ad ortum:
Nulla erit in mundo neſcia terra tui.

De

De te longinquae gentes, populique loquentur,
Et tales repetent ore frequente ſonos:
Hic etiam extremis fecit commercia terris,
Per dubias mercem nave vehente vias.
Haec tibi cuncta dabo. quota pars tamen illa futuri?
Et ſunt, quum dixi plurimá, plura ſuper.
His compone, licet, praeſtánt quam carmina famam;
Et tamen excepta laude quid illa ferunt?
Hac fies patria paucis vix notus in ora.
Scilicet hoc hoc eſt, cur operoſus eris.
Deſierat. Coepitque ſimul divina Poëſis,
Et tales roſeo ſolvit ab ore modos.
Ne, quaeſo, incautas, juvenis, tibi faſcinet aures;
Turgida dum largas polliceatur opes.
Sunt mea non magnae, fateor, ſacra cognita turbae:
Non tamen hinc fuerim deſpicienda tibi.
Neſcis cur adamas, ſit cur in honore ſmaragdus,
Cur petrium baccis grande, quod ante, manet?
Quis jam ſceptra velit poſthac oneroſa tenere,
Si pariter cunctis regibus eſſe datur?
Aut paucis ſi mixta roſis ſpineta videbis,
Illane tu dices anteferenda roſis?
Sis dives, Croeſum ſic ut ſuperaveris ipſum;
Aurataque tibi profluat Hermus aqua:
Quid jam quaeſitum fuerit, niſi cura perennis:
Quae tua diſcruciet pectora mille modis?
Quumque gravi ventos audis ſtridore tonantes,
Ad miſeras curras ore tremente preces,
Ne fiant avido laceratis praeda carinis
Aſſyriae merces Sidoniaeque mari.

At,

At, puto, non paucos felix numerabis amicos;
Poſcet amicitiam plurima turba tuam.
Sic erit: at quum ſe Sortis mutaverit aura,
Liquerit & ſedes improba Diva ſuas;
Omnis turba retro cedet male fida, nec ullus,
Qui te ſoletur, forſan amicus erit.
Tunc quanto melius nullos habuiſſe ſodales,
Cernere quam cunctos tam cito terga dare!
Adde quod, ipſa licet cupiat promiſſa benigne
Solvere, non, niſi jam Sorte volente, poteſt.
Quumque nihil dubia Sortis fallacius aura,
Aura in fallaci ſpes tua ſemper erit.
Tutius at quanto tu munera noſtra tenebis,
In quae fata nihil lubrica juris habent!
Pellere Naſonem potuit Fors invida Roma,
Ingenio nocuit Caeſaris ira nihil.
Omnia quum rapuit, cur non quoque carminis artem?
Imperio major res erat illa ſuo.
Uſque Tomitanas illa comitatus ad oras,
Per terrae tractus, per freta longa, fuit.
Carmina ſunt teſtes Ponto deducta ſiniſtro,
Carmina judiciis uſque colenda meis.
Nec me deſpicias, quod ſim non perfida, quodque
Cultori maneam ſemper amica meo,
Parvaque non inopis dedigner tecta ſubire,
Nec metuam caecae fulmina ſaeva Deae.
Non tamen ut nolim niſi pauperis eſſe ſodalis,
Mitibus aut fatis ut comes ire negem.
Te mihi, te teſtor, Caeſar Germanice, cujus
Admiſi illuſtres ad mea ſacra manus.

Nos

Nos damus ingenium, deſint ſi cetera nobis,
Nomina non unquam nos moritura damus,
Carminaque, aeternae munus praeſtantia famae,
Solaque funereos effugitura rogos.
Ah! mihi quam ſtolide ſapientia quaeritur aere,
A diis quae melius parta labore venit.
Ah! levis eſt nimium, nimis eſt ea fama caduca,
Quam tibi gaza ferat non minus ipſa levis.
Haec tamen auſa ſuis noſtras componere dotes,
Quas nunquam poterit perdere tempus edax?
Millia tot quis nunc vel nomine noverit ipſo,
Qui celebres multa merce fuere prius?
Nunc etiam terras laus pauperis implet Homeri;
Nec jam Battiadae fama ſepulta jacet.
Inque ſuo vivit Thebanus carmine cycnus,
Et pater argutae Teïus ille lyrae.
Alta Sophocleis Clio ſubnixa cothurnis
Nunc quoque grandiſona pulpita voce quatit.
Doctus Ariſtophanes, Actaei gloria ſocci,
Nunc quoque Mopſopios perfricat arte ſenes.
Nunquam erit, ut teneri moriatur Muſa Propertii,
Heroive Maro maxima fama pedis.
Ut nova floret adhuc Venuſino gratia vati!
Num periit nomen, culte Tibulle, tuum?
Inſpice majorum pariter monumenta tuorum,
Inſpice quos vates terra Batava tulit.
Donec laſcivum referet Verona Catullum,
Oſtendet cunas Haga, Secunde, tuas.
Ganda dedit patrem, natum Leidana Minerva
Heinſiaden, noſtri lumina bina chori.

Ac-

Atque eadem, Phoebi ſimul & Mavortis alumnos,
  Douſiadas fovit mater amica ſinu.
Grotiaden Delphi referent, ſi jure putemus
  Mortali tantum ſurgere ſtirpe virum.
Te Franci, te, Broukhuſi, par nobile vatum,
  Ya pater cives jactat habere ſuos.
Quoſque referre mora eſt: penna metuente reſolvi
  Per populos quorum nomina fama vehit.
Crede mihi, eſt aliquid mortem ſic vincere poſſe,
  Spemque ſibi tantam ſemper habere ratam.
Deſierant ambae; veniam, pacemque rogavi,
  Attonito referens talia verba ſono:
Tu ſpondes famam, tu nomina clara, Poëſi,
  Tu mihi fatalem ſpernere poſſe diem:
Ac tu divitias mihi, Mercatura, potentes;
  Utraque ſunt animo munera grata meo.
Mens labat in dubio: nam nec contemnere tutum,
  Nec legere eſt. onus hoc, nec minus illud habet.
Huic ego paruero; metuo mihi ne ſit iniqua
  Altera. pluſque juvant, quam juvat una, duae.
Saepe tamen geminos Coeleſtes una recepit
  Ara; mariſque Deus cum Jove dona tulit.
Cur non ſic etiam mihi numina bina colantur,
  Accipiantque meas utraque Diva preces?
Annuerunt ambae, ac veniae mihi ſigna dederunt.
  Currat per geminas nunc rota noſtra vias.

ELEGIA V.

AD

JANUM GRAEFLANDIUM,

e gravi morbo convaleſcentem.

O Deſiderium doctarum, Jane, Sororum,
  O Juvenis, Clarii maxima cura Dei!
Seu natura facit, naſcentibus inſita nobis
  Paene eadem, ſtudii conſimiliſque labor,
Sive amor, in longos crevit qui fortiter annos,
  Conſpirant miris pectora noſtra modis.
Aegroto ſimilis dudum pigra membra trahebam:
  Corpore languebat mens tamen ipſa magis.
Non veteres me jam vates luſtrare juvabat,
  Itala quos tellus, Graecia quosve tulit.
Non mihi Maeonii, non grata Camena Maronis:
  Nec poterant numeri, Naſo, placere tui.
Cauſſa nec inventa eſt, nullo cur vulnere laeſus,
  Tam male tranquillo pectore ſemper eram.
Somnia terrebant etiam. Nam viſus adire
  Sum mihi Pierii templa ſacrata jugi.
Omnia erant illic gemitu plena, omnia luctu.
  Implebat ſacros multa querela locos.
Per nemus Aonium non fiſtula dulce ſonabat,
  Mutaque erant citharae, mutaque fila lyrae.
Illic, triſtitiam ſparſis teſtata capillis,
  Plangebat miſeros turba canora ſinus.

Viſaque Melpomene ſic fundere flebile carmen,
 Et facere ad Phoebum talia verba ſuum.
Phoebe, pater vatum, numeroſi carminis auctor,
 Virginei numen, praeſidiumque, chori:
Herba omnis ſubjecta tibi, medicuſque vocaris,
 Qua caput aequorea tollis & abdis aqua.
Si te quid lacrimae, ſi quid ſuſpiria tangunt,
 Curaque jam noſtri ſi qua relicta tibi eſt:
Ipſe vides, heu! heu! vicino ducere vatem
 Vix animam leto, duraque multa pati:
Ipſe vides, qui cuncta vides, pater alme, tuoque
 Cultori medicam, nam potes, adfer opem.
Finierat. Subitoque ſopor languentibus alis
 Me fugit, incertum, quem fera Parca petat.
Nec tamen haud dudum latuit, cui fata parentur;
 Somnia ponderibus nec caruere ſuis.
En jam fama venit triſtis, tantoſque dolores
 Jam mihi qui portent, unus & alter adeſt.
Ille tuus praedulcis amor, Graeflandius ille,
 Dixerunt, tibi jam non rediturus abit.
Non magis, aut certe haud multo magis, aequora mota
 Eſſe puto, venti quum fera bella parant,
Quam, ſimulac noſtras tanti percuſſerat aures
 Fama mali, attonito pectore motus erat.
Mentis inops erro, totuſque in imagine damni,
 Euias ut demens, per loca cuncta feror.
Ut vero invenit ſeſe dolor; an tua poſſem,
 Tentavi, precibus flectere fata meis.
Evadat, dixi; fuerim ceu morte receptus
 Ipſe, tibi gratus munera, Phoebe, feram:

Adji-

Adjiciam carmen: Redivivo Petrus Amico.
  O ſiam voti jam reus, opto, pii!
Interea haud aliter doleo, quam nupta fidelis,
  Crudeli rapto conjuge morte, dolet.
Non mihi jucundum lectiſſima vina ſaporem;
  Non epulae dulces conciliare queunt.
Atque aliquis dixit; ſpectacula laeta videnda:
  Quid tibi nunc moeſto pallidus ore color?
Scilicet ipſe feram depulſa gaudia cura,
  Luminibus ludos adſpiciamque meis:
Altera pars noſtri miſeranda tabe liqueſcet!
  Illius ante oculos nil niſi funus erit!
Non ita. Triſtitiae lubet indulgere, trahoque
  Per lacrimas morbi tempora dura tui.
Perque ea non ullam juro ſenſiſſe quietem,
  Ruperunt variis quam niſi viſa modis:
O! quoties noctu tua me turbavit imago
  Triſtis, & ut gelidis manibus eſſe ſolet!
Saepius in fletum ſolvor, lacrimaſque profundo,
  Ac video guttis humida ſtrata meis.
Excitor ut ſomno: Mecum, felicia, clamo,
  Omina, Graeſlandi, ſint, precor, iſta tibi.
Saepe cadunt etenim noſtri in contraria ſomni,
  Viſaque laetitiam triſtia ferre ſolent.
Saepe etiam in ſomnis tecum loquor; ipſe videris
  Alternis gaudens reddere verba ſonis.
Nec ſoliti luſus deſunt, nec fabula grata,
  Ac ſale conſperſi, ſed ſine felle, joci.
Omine laetatus conſurgo: nec mora, Jano,
  Haec quoque ſint, dico, proſpera ſigna meo.

Non etenim ſemper fallunt praeſagia noctis;
  Saepe ſed eventus illa habuere ſuos.
Aſt bene ſuccedit. noſtro, puto, Phoebus amori
  Conſulit, & vacuas noluit eſſe preces.
Jamque ferunt gratum medicamina docta levamen,
  Herbaque ſperatam jam quoque praeſtat opem.
Jam minus exurit ſicco febris igne medullas,
  Jamque vices variat, jam furor omnis abit.
Diffugiunt omnes, febri fugiente, dolores,
  Et dant laetitiae cura metuſque locum.
Jam vigor & veteres redeunt in corpora vires,
  Naſcitur & rurſum vivus in ore color.
Sed, mihi quod ſupereſt, communia gaudia, Jane,
  Ut carpam, Phoebo nunc ſua dona feram.

ELEGIA VI.

AD FRATREM

JAC. PHIL. D'ORVILLE,

In Britanniam proficiſcentem.

NOn ſatis eſt igitur, quod te tua Leida frequenter
  Eripiat nobis, detineatque diu:
Nec niſi jam toto venias huc rarus in anno,
  Nec niſi per paucos conſpiciare dies.
Ibis enim, atque alibi, nunc certe debita nobis,
  Tempora traduces, & procul orbe tuo;

Viſe-

Viſere ſemotos trans coerula longa Britannos
  Certus, & ancipites ſollicitare vias.
Nec te cura tuae patriae noſtrique moratur,
  Nec male ſecuris aequora aranda vadis.
At mihi, neſcio quae, fingebam gaudia demens,
  Gaudia per celeres diripienda Notos.
Et mihi dicebam: Jam Leidae rurſus ab oris
  Noſtra aderit Frater gloria, noſter amor;
Speratoſque diu vultus ſpectare licebit,
  Delitiiſque meis, illius ore, frui.
Nec properata nimis rumpet via gaudia rurſus:
  Implebit juſtam temporis ille moram.
Serus Leidanas iterum contendet Athenas,
  Ut reddat ſtudiis ſe, velut ante, ſuis.
Et modo complexus animo meditabar amicos,
  Et modo dilectis oſcula danda genis;
Et modo, quae facerem, dulciſſima verba parabam;
  Feſtivoſque inter Bacchica dona jocos.
Talia, me miſerum! ſed non ventura, fovebam,
  Nutribamque meo vota caduca ſinu.
Ah! quoties blandis hortabar tempora dictis!
  Ah! quoties Phoebi ſtare querebar equos!
At tibi nunc quoties ventoſque undaſque timebo!
  Tuque mihi trepidi cauſſa pavoris eris!
I tamen, I felix, quoniam tam certus abire es:
  Nullaque perturbet foeda volucris iter.
Corvus ab aurora fauſtum tibi concinat omen.
  Colluſtrent placidum ſidera dextra polum.
Dum curras, Eurus ſpiret tibi ſolus in alto:
  Hic agat ad portus coerula prona ſuos;

 Im-

Impleat hic modico turgentia carbaſa vento,
Cetera turba ſuo carcere clauſa fremat.
Hoc jubeas, oro, vinclis qui flamina fraenas,
Imperioque domas, Aeole magne, tuo.
Tuque adeo, Theti glauca, fave, curſumque ſecunda.
Quoque magis faveas, eſt pia cauſſa viae.
Nam neque vanus amor rerum, ſtultuſque, novarum
Impulit, aut illic deſidioſus aget:
Nec foedi quaeſtus ſcelerata mente petuntur:
Deſerit aut patriam transfuga turpis humum.
Ibit, ut inviſat, quibus ora Britanna ſuperbit,
Non leviter claros Palladis arte viros;
Luſtret &, antiqui decus oſtentantia ſecli,
Tot Latiae, Grajae tot monimenta rei;
Et quae praeterea ſtudiis ſunt apta juvandis,
Atque animum poſſint excoluiſſe ſuum.
Eſt & Frater ibi, multis haud viſus in annis.
Hic quoque non curſus ultima cauſſa fuit.
Et quis non, blandis fratrem circumdet ut ulnis,
Sponte velit terrae ferre mariſque mala?
O quam, ſi liceat, pinum conſcendere eandem
Nunc poſſem, dubias nec timuiſſe vias;
Et tecum cari Fratris complexibus iisdem
Haerere, inque vicem baſia ferre pia.
Haec olim nobis. at te jam nil moror ultra.
Propoſitaeque imple coepta decora viae.
Hunc, Neptune, precor, pacatum mitte per aequor;
Sic tinguat madidam bos tibi multus humum:
Dimidiumque animae conſerva mitis in illo,
Inque uno fratres perdere parce duos.

Et

Et tibi, ſi pereat, procul abſint omina verbis,
  Dedecus aeternum, nec leve crimen erit.
At ſi ſervaris, pariter quod Delius ipſe,
  Et pro vate ſuo Calliopea rogat,
Servatus, Neptune, tibi ſua munera ſolvet,
  Proque tuo ductu non male gratus erit;
Pieriaque lyra vocalia carmina reddet;
  Parcus & in laudes non erit ille tuas.
Ipſe ego, ſi quid id eſt, ſuſpendam rite tabellam,
  Quae referat memori talia dicta nota:
PRO VITA DUBIIS SERVATA FRATRIS AB UNDIS,
  HAEC PETRUS AEQUOREO DEBITA DONA DEO.
Tu modo ſervando, quoniam nec iniqua rogaris,
  Pande piis titulis, carminibuſque viam.

ELEGIA VII.

IN NUPTIIS

JACOBI TIEWELEN & JOANNAE ELISABETHAE van der HAGEN.

QUalis ab undoſo ſervatus navita ponto,
  Qui patrios portus ſoſpite puppe ſubit,
Geſtibus & laeto prodens ſua gaudia vultu,
  Exſolvit reduci debita vota Jovi.
Aut qualis ſol, coeruleis cum nubibus exit,
  De puro ſpargit pulcrius orbe jubar.

Talis, poſt gemitus lamentaque pulſa, refulges
  Laetitiam faſſis, Sponſe beate, genis.
Et fruſtra celare ſinu tua gaudia tentes:
  Si cupias, nequeunt gaudia magna tegi.
Quin voti damnatus ovas; quo nil tibi majus
  Miſerit aetherea Jupiter ipſe domo.
Namque haec illa dies, qua, fortunate Jacobe,
  Fulcra tui ſcandet cara Joanna tori.
Cara Joanna; Joanna tuis digniſſima curis:
  Unica fax animi cara Joanna tui.
Seu faciem ſpectes, deceat Cythereïda qualis;
  Judicium Paridis ſit ſubitura licet:
Seu nivei rapiant caſto ſub pectore mores,
  Vix novere quibus ſecula priſca pares.
O ter felicem, cui contigit iſta bonorum
  Turba, comas myrto dum ligat aequus Amor.
Fallimur! an nitido deſcendere gaudet Olympo
  Caſta Venus, Charitum conſociata choro:
Ambroſioſque almo ſpirans de vertice odores,
  Deque roſis ſternit, de violiſque, torum!
Sic eſt. Pulcer Hymen genialia lumina quaſſat,
  Ipſaque adeſt laetis pronuba Juno ſacris.
Hinc tibi praedico, neque ero tibi vanus aruſpex,
  Conjugium felix, nec ſine prole torum.
Hoc tuus ipſe Pater probat, hoc Materque Sororque
  Jure tuae; & plauſus & bona verba ferunt.
Hoc Sponſae Genitor, quem Chriſti oracla docentem
  Deperit urbs omnis, depereatque diu:
Hoc Soror; hoc Frater, docti veſtigia patris
  Qui non diſparibus paſſibus uſque premat.

At

At vos jam cupidi, quid enim ceſſatis! amantes
  Tendite, Amor quo vos, quo vocat almus Hymen.

ELEGIA VIII.

Praeſtantiſſimo & Nobiliſſimo Juveni,

JANO GRAEFLANDIO,

Cum ſummos in utroque jure honores conſequeretur.

EN tibi, Graeflandi, toties optata, refulget,
  Quaque ſinat Livor, candida tota, dies.
At neque tu vitam potuiſti ducere inertem,
  Deſidiaeque piger praemia vana ſequi.
Nec Livor tantis animi virtutibus unquam,
  Dotibus aut raris non comes ire valet.
Nunc etiam magis ille fremat; tibi, Jane, parari
  Promeritis ſummis praemia digna videns.
Nam Themis ipſa, tui quam non latuere labores,
  Et vigiles noctes, aſſiduique dies,
Quaeque animo penitus ſedit pulcerrima virtus,
  Et niveus candor, juſtitiaeque ſitis;
Ipſa Themis rutilo delabitur, adſpice, coelo,
  Inque manu palmam, ſertaque grata gerit;
Quîs te, quem myſtas inter dignatur habere,
  Muneret, & ſacram cingat amica comam.

Huic ſe Pierides, huic ſe vocalis Apollo
  Adjungunt comites, nec bona Pallas abeſt:
Teque ſuum decorant certatim quisquis alumnum;
  Hi laurus, oleae frondibus illa ſuae.
Tu modo delatos merito cape gratus honores,
  Quaeque tibi dantur munera, dignus habe.
Hoc etenim, ah! nimium properata morte peremti,
  Magnanimi poſcunt oſſa verenda Patris:
Oſſa Patris poſcunt, Tyrio quem murice tectum
  Amſtelii faſces non decuere ſemel:
Quo rapto populus flevit, flevitque ſenatus,
  Quorum pars ingens, dum fuit, ipſe fuit.
Hoc Fratres, titulis jam pars & honoribus aucta
  Unde nitet, proles digna parente ſuo;
Dilectaeque pia poſcunt cum Matre Sorores:
  Ac decus, & ſtirpis gloria magna tuae.
Hoc, quorum tu ſaepe ſalus columenque futurus,
  Et viduae ſperant, ſollicitique rei.
Hoc ſocii, modo ſi quid id eſt, & turba tuorum
  Omnis amicorum te ſimul ore rogant.
Non tamen haec moneo, veluti dubitabilis in te
  Sit virtus, ſtimulis indigeaſque meis.
At, quamvis opus eſt tibi, Jane, hortamine nullo,
  Saepe licet celeri ſubdere calcar equo.
Ergo age, coepiſti qualis, gnaviſſime, perge,
  Neve operis primo limine ſiſte gradum.
Sic Themis aequa tuis ſemper conatibus adſit:
  Sic, bene quem tuleris, & bene cedat honor:
Sic partum modo, Jane, novum decus uſque ſequatur:
  Sic celebrent nomen ſecula cuncta tuum.

ELEGIA IX.

Ad Fratrem

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

AT melius jubeam Parnaſia ſacra valere;
Et ſtudia, atque artes, docta Minerva, tuas:
Majugenaeque ſequar totus jam ſordida caſtra,
Suevit ubi miſeras quaerere avarus opes:
Ne mihi ſit pravos toties audire ſuſurros,
Stultitiae peragor quîs ego turpe reus.
Ne toties clament: Res deſine, deſine vanas;
Nil profecturi pone laboris opus.
Quo tibi enim veterum pervolvere ſcripta virorum?
Quo tibi, quid doceant ille vel ille ſophus?
Quid Latiam prodeſt, Grajam quid diſcere linguam,
Dumque bene ediſcas, tempora cara teri?
His etiamne potes cenſus augere paternos
Artibus? his fundos amplificare tuos?
Congeſtoque auri late rutilantis acervo
Praeclarus populi vivere in ore tui?
Falleris; his nulli tibi conciliantur honores.
Falleris; his nullas, ſtulte, parabis opes.
Tu Janum celebrare, citas numerare Kalendas,
Foenore tu nummos diſce locare tuos.
Hoc etiam ſtudium eſt. ea poſcit cura laborem;
At non qui careat fructibus ipſe ſuis.
Fertilis hic ager eſt; cum foenore credita reddit,
Solus, ſi ſapias, ille colendus erit.

Er-

Ergo ego, cum toto Muſis Helicone relictis,
Non niſi ſollicitas quaerere cogar opes?
Inter ephemeridas ſemper tabulaſque morabor,
Haeque mihi noctes, eripientque dies?
Nec poſthac doctas viſam Tritonidos arces?
Nec poſthac bifidum, cantor Apollo, jugum?
Dii melius! nec ſint unquam mala murmura tanti,
Ut Muſae dicam; Tempus in omne vale.
Sed, quamvis nobis Cyllenia caſtra terantur,
Et ſequar innocuas pectore purus opes,
Non ideo, Jove Nata, tuas tibi turpiter horas,
Aut ferar Aoniſin praeripuiſſe ſuas.
Nam juvat, &, fallunt niſi me mea vota, juvabit
Semper, Palladiis invigilare ſacris.
At ter felices, me judice, terque beati,
Et quoties non eſt dinumerare mihi,
Quîs liceat placide, procul a clamoribus iſtis,
Artibus ingenuis tempora cuncta dare.
Et modo in Auſoniis doctrinam quaerere chartis,
Et modo reliquiis, Cecropi terra, tuis.
Vos igitur rerum cauſſas didiciſſe latentes,
Ac varios motus, ingeniumque juvat.
Quid faciat campos, faciat revireſcere ſilvas;
Cur haec herba ferat, cur fuget illa necem:
Cur mare cum ſocia inferius tellure reſedit,
Adpetiit ſummum cum levis aethra locum:
Unde graves tonitrus, comitataque fulmina nimbis:
Flamina quid: terrae qui ſit & unde tremor:
Volvitur aſtrifero ſi ſol contrarius axi:
Quid variet vultus, candida luna, tuos.

Quas-

Quasque alias rerum ſpecies natura miniſtrat,
  Nomina vel quarum noſcere nuda labor.
Aut vobis latam curae eſt percurrere terram,
  Sol cadit aequoreis, quaque reſurgit, aquis.
Quae freta, qui poſitus illic ſpatiumque locorum,
  Qui fluvii & montes multiplicesque viae.
Quot gentes habitant variae: quot regna, quot urbes,
  Seu ſuperant, ſeu jam deperiere mora.
Nec minus & priſci ritus evolvitis aevi,
  Et caſus veterum, fortiaque acta virûm.
Seu lubet ad faciles animo devertere curas,
  Et vacuum ſtudio pectus habere gravi:
Nunc vos delectant Demoſthenis ora diſerti,
  Ora vel Hyblaeo dulcia melle magis:
Nunc, toties quo Roma fuit ſtupefacta tonante,
  Detinet eloquii Tullius ille decus.
Nunc docti vobis vates, gens dia, leguntur,
  Threïciuſque Orpheus, Maeoniuſque ſenex:
Et cum quo, pecudes paſcente in vallibus Aſcrae,
  Eſt dignata ſuo Pieris ore loqui;
Cui ſacrae viridem laurus decerpere ramum,
  Et cum praeteritis ſcire futura dedit.
Vel duce quo ſegetes melius crevere Latinae,
  Troïaque Heſperiis ſacra recepta focis.
Perpetuove canens mutatas Naſo figuras
  Carmine, Cecropiis nil minor ipſe viris.
Ipſi nunc aliquid Muſis & Apolline dignum
  Conditis, a docto quod queat ore legi.
Haec & plura etiam fas eſt contingere vobis.
  Invida ſed fatis quae querar aſtra meis?

At

At quoties ſperata tamen mihi copia detur,
Pegaſidum laetus limina ſacra petam.
Vos, precor, o tantum placidas praebete canenti,
Quae colitis Pindi culmina celſa, Deae:
Et date carminibus curam lenire forenſem,
Aut ſi quid duri triſtior hora ferat.
Improba deſpiciam laevae ſic murmura famae,
Judice quum populo ſtultus inerſque vocor.
Stultus inerſque vocer, populo ſed judice ſtulto,
Et ſi cui craſſo pectora ficta luto.
At vos, Pierias quibus eſt accedere laurus
Semper, & Aonio fonte levare ſitim,
Me ſinite ad veſtram faciles adiiſſe coronam,
Palladioſque viros inter habere locum.
Tuque agedum, firma, rerum cariſſime, Frater,
Cui ſpretis opibus ſola Minerva placet,
Ne nos abripiat lucri maleſuada cupido,
Exemplo & monitis mollia corda tuis.

ELEGIA X.

Reverendo Eruditiſſimoque Viro

THEODORO HOOGENBERG,

Quum Eccleſiae Zeiſtenſis paſtor electus eſſet.


MUſarum praedulcis amor, Phoebique voluptas,
Raraque Palladii laus, Theodore, chori:

Gra-

Gratulor eventus tibi vota tuliſſe cupitos;
  Gratulor ingenio parta theatra tuo:
Paſtoriſque datam fidi, pia munera, ſortem,
  Tollit ubi in coelum nobile Zeiſta caput.
Macte novis animis: vocat huc te Chriſtus, & iſtud
  Mando meum curae, dixit, ovile tuae.
Felicem turbam! quae te, Theodore, docente
  Altiſoni diſcet jura verenda Dei.
Sive ſacras leges, ſive huic oracula pandas,
  Numine contacti quae cecinere viri.
Quid! quum vindictamque Dei, mortemque paratam
  Peccatis doceas, Tartareoſque lacus!
Quid! quum lenitas iras, vitamque receptam,
  Et partum, Chriſti dante cruore, polum!
Poſtquam amor ille patris ſuperi, pro ſontibus inſons,
  E cruce devota crimina noſtra luit;
Jam probra, jam prius heu! ſervilia verbera paſſus,
  Rex licet ille, Deo natus, & ipſe Deus.
Tunc, ſimulac moreſque malos & crimina dira
  Corripis, admiſſi me piget uſque mei.
Tunc ſimulac ſanctae collaudas praemia vitae,
  Nil aeque in terris ac juvat eſſe pium.
At quos non madidos oculoſque ſinuſque notavi,
  Te lacrimas verbis eliciente tuis!
Scilicet haec vis illa, tuaeque potentia ſuadae eſt.
  Hac mollis animos, hac fera corda domas.
Maſculaque huic pietas, & juncta modeſtia morum,
  Qui caſtis monitis convenienter eunt.
Plurane ſubjiciam, quîs tu laudabilis exſtas?
  Me tuus at prohibet plura referre pudor.

Nem-

Nempe vetas fieri praeconia, ſint tibi quamvis
  Debita. virtutes deprimis ipſe tuas.
At ſineres: tum quo decet ore ſonare juvaret
  Et genii dotes & bona magna tui:
Et vigiles curas, indefeſſumque vigorem,
  Cumque his doctrinae nobilioris opes.
Carmina laudarem Muſis & Apolline digna,
  Seu Batavam pulſas, Auſoniamve lyram.
Multaque, quae taciti tibi nunc gratamur; id unum
  Nam certe nobis non vetuiſſe potes.
Quin ita tu pergas. Sic votis omnia cedant,
  Teque ultra ſemper provehat ipſe Deus.



PETRI

PETRI D'ORVILLE ELEGIARUM LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

Laus Hiemis.

ET quiſquam, ut pigrae, faciat convicia Brumae,
  Frondibus & triſtem, graminibuſque, vocet?
Nec niſi damnoſam pecori remeare, viriſque;
  Adventuque putet laedere cuncta ſuo?
Atque adeo vellet, toto rariſſima in aevo,
  Illius, aut nullo tempore, regna forent?
Fallitur ah! neſcitque Deos mala quanta precetur,
  Quanta per haec neſcit vota pericla petat.
Abſtineat, moneo, tam pravis vocibus uti;
  Atque Hiemis diſcat commoda magna pati.
Nam neque, quod ſilvas foliis, quod gramine campos
  Nudat, & hoc nullus tempore flavet ager,
Nullaque foecundos ſpectas curvantia ramos
  Pondere poma ſuo, debuit eſſe nocens.
Hoc niſi enim faciat, jam ruſtice, pone ligones,
  Cum rigido falces vomere pone ſuas.
Nec fruſtra valido tentes proſcindere aratro,
  Pectinis & raro verrere dente ſolum:

Nec fruſtra vacuo jubeas ceſſare novali,
Poſtmodo quod duplici foenore reddat ager;
Nec fruſtra arboribus nimias perſtrinxeris umbras,
Exiguo ut damno commoda magna ferant.
Jam tibi, jam nullis marcebunt meſſibus arva,
Ac ſterilis nullis frugibus arbor erit.
Omnia, foeta prius, miraberis arida facta;
Omnia continuo victa labore mori.
At fractas reparat vires, grataſque quietis
Praebet Hiems agris, arboribuſque, vices.
Sic ſolitas partes ſi ſomnus obire negarit,
Heu! de tot populis quam modo nullus erit!
Hoc ſine, corporibus fruſtra damus otia feſſis,
Ponimus & molli membra levanda toro:
Hoc ſine, vita modo non eſt durabilis ullo;
Deficit, &, ſomno non renovante, perit.
Atque ita quas ſomnus partes mortalibus aegris
Praeſtat; eas plantis, Brumaque praeſtat agris.
Neve ſuos ventos illi, ſua frigora culpae
Verteris, immixtam grandinibusve nivem.
Singula nam, volumus niſi ſi manifeſta negare,
Multiplici terras utilitate juvant.
Frigora, quis neſcit, vitiatas aetheris auras
Purgant, & flatus, Eure ſerene, tui.
Frigore, ne foetus, ſurgunt quo tempore, rodant,
Intereunt mures & genus omne nocens.
At ne, dum nimium eſt, teneram quoque laedere poſſit
Frigus humum; munus nix ſubit alta ſuum.
Hacque tegente manent terrae ſola tuta, frutexque
Deſpicit horrendi vimque minaſque gelu.

Quin etiam frigus, ne ſpes ſit vana coloni,
Et foetus validos, pomaque firma facit.
Hinc videas, quoties nimium ſua frigora Bruma
Temperat, & nimium mollia regna gerit;
Ut vix poma queant poſt ulli obſiſtere noxae,
Quamlibet & minimo frigore tacta cadant.
Nec ſatis eſt Brumae, quamvis ſatis eſſe liceret,
Curriculo ſecum tot bona ferre ſuo;
Ni quoque diſtribuat totum nova dona per annum,
Sentiat auxilium tempus & omne ſuum.
Illa, quod aeſtivos poſſis tolerare calores:
Quod non deficias ignibus, illa facit.
Nec ſine frigoribus tellus habitabilis eſſet,
Et nihil ex omni, quidquid ubique, foret.
Fac tamen haec toto tempeſtas exulet anno,
Cum ventiſque ſuis, frigoribuſque ſuis.
Nunc tibi jucundi quam longe tempora veris?
Nunc caput autumnus palmite cinctus ubi eſt?
Omnia erunt Aeſtas, urentes omnia ſoles:
Veris & Autumni non locus ullus erit.
Utraque frigoribus debent ſua tempora; Brumae
Muneribus veniunt utraque grata ſuae.
Neve tamen credas horum modo damna venire
Flenda tibi. majus, quod querar, ecce, malum eſt.
Me miſerum! incumbet quam terris agmine pleno
Horrida morborum, nec remoranda, cohors!
Nam nimiis poſtquam flammis exarſerit aër,
Concipit ignito mille venena ſinu:
Hinc mox innumeris temeratas peſtibus auras
Naribus incautis heu! ſibi quiſque trahit.

Heu! ſibi quiſque trahit, mortique arentia pandit
  Guttura ſponte ſua: namque edit oſſa vapor.
Cernere jam videor paſſim pecudeſque viroſque,
  Conſumtos miſera corpora tabe, mori.
Nec quidquam ſuccique juvant herbaeque medentes:
  Ipſa jacet nimiis ars ſuperata malis.
Vixque Charon ſolus numeroſas trajicit umbras,
  Vixque gregi tanto ſufficit una ratis.
Flumina perpetuis decreſcent omnia flammis,
  Jamque brevi ſiccus tempore campus erunt.
Rhenus & Eridanus, cumque Indo Nilus & Iſter,
  Abſumtaſque gemet Naïas omnis aquas.
Aequoris ipſe Deus, fatis conceſſa, dolebit
  Imperii fieri ſceptra minora ſui.
Addideris, gremio quae commoda plura benigno,
  Duram hominum ſortem commiſerata, ferat.
Nunc pariter Riſus, pariter venere Lepores,
  Non aliis natus temporibuſque Jocus.
Scilicet ad ſtructos ignes coïere, rudeſque
  Primum homines latebras deſeruere ſuas.
Illic coeperunt rabidos deponere mores,
  Exuere & mentes aſperitate fera.
Illic coeperunt ſociis ſermonibus uti,
  Illic communi conſuluiſſe bono.
Quale ſodalitii, quale eſſet nomen amoris,
  Rumor ad accenſos fert patuiſſe focos.
Nec non cana Fides, nec non & foedera ſancta
  Sunt illo primum, crede, reperta loco.
Pax quoque, qua terris nihil eſt jucundius uſquam,
  Illic cultores coepit habere ſuos.

Nam

Nam ſaevam rabiem, paciſque obſtantia bella
Artibus, e regno juſſit abeſſe ſuo.
Tunc neque fatifero Mavors ſtat torvus in enſe,
Cogitat Idalio ſed nova furta toro.
Tunc neque terribilis circumdat moenia miles,
Ferratoſque globos machina ſaeva rotat.
Tunc nullos audis campo lituosve, tubasve,
Nec ſtrictas acies nec fera caſtra vides.
Tunc metus omnis abeſt: tunc, ſi quae forte relictae,
Divitias tutas, parce colone, tenes.
Tunc mediis requies ſentitur pacis in armis,
Hoſtis & ipſe ſuo tutus ab hoſte manet.
Cum terris pax aſtra tenet: mortalia corda
Horriſoni turbant murmura nulla poli.
Flammea non rutilo geminantur fulgura coelo:
Non feriunt miſeras fulmina miſſa domos.
Tunc tumidas paullum deponere Jupiter iras,
Et cum coelicolis gaudet inire dapes.
Tempora quid referam placidi jam tuta ſoporis,
Nec per praecipites ſomnia rupta dies?
Nunc fera inviſos Tithonia ſurgit ad axes,
Et vocat ad ſoliti ſera laboris onus.
Hoc gaudes, opera foſſor confecte diurna,
Et manibus parcas qui tibi quaeris opes.
Hoc gaudes, quicumque tua vir juncte puella,
Ac quaecumque tuo juncta puella viro.
Hoc gaudes, odioque tibi, tua munera, lux eſt,
Phoebe, ſinu quoties te tenet uda Thetis.
Nunc te crediderim Brumas optare perennes,
Continuaſque nives, continuumque gelu.

Nec magis eſt aptum, quis credat! tempus amori:
  Ad Pueri faciunt frigora dura faces.
O quoties alicui, glacie dum currit in ipſa,
  Algentes artus urere coepit amor.
Ille ignes mirans ſubitos, putat eſſe citati
  Corporis, aut Brumae deficientis opus.
Et ſe, neſcio cui, jactare incepit amicae,
  Ac meliore ſuos arte movere pedes.
Inde domum repetens tandem ſua vulnera ſenſit,
  Et doluit Paphia frigora victa face.
Quid nunc ad vigiles convivia laeta lucernas?
  Quid narrem placitas nocte juvante dapes?
Quid focus aſſiduo, memorem, dum frigora vincit
  Igne, patris Bromii pocula grata magis.
Quis curas illic animo non ponit amaras,
  Pectore nec toto gaudia plena capit?
Quis non ad ſtrepitus illic vociſque lyraeque
  Feſtivis geſtit ſe recreare choris?
Nunc iterum, aeſtivi ceſſant quae menſibus anni,
  Plauſibus effuſis feſta theatra ſonant.
Nunc celebres adeunt & mas & foemina ludos,
  Atque oculi rurſus, quo teneantur, habent.
Haec & plura tibi non parce Bruma miniſtrat;
  Et partem utilitas deliciaeque tenent.
His tamen auditis numquid mens manſit iniqua,
  Quisquis es, ut nolis abſoluiſſe ream?
Quin Phalarin credam, quamvis rigidumque trucemque,
  Quin, Buſiri, tuas frangere poſſe minas.
At, puto, jam parces, ſi non es durior illis,
  Criminis inſontem commaculaſſe nota.

Sic

Sic gelidos ſemper ventos, ſic frigora grata
  Icarii poſſis ſidere habere canis.
Sic quoties veniat, veniat tibi Bruma benigna,
  Et felix agris, arboribuſque tuis.

ELEGIA II.

FRATRI DILECTISSIMO

JAC. PHIL. D'ORVILLE,

Quum Juris utriuſque Doctor crearetur.

O ſalve Themidi, Frater, novus addite myſta;
  O amor, o animae pars pretioſa meae!
Nunc mihi Pegaſeo cuperem de fonte liquores,
  Nunc venam facilem, conſimilemque tuae!
Ut me jucundo comitari haec gaudia plectro
  Juverit, huncque tuum concelebrare diem!
Ille dies tuus eſt: Themidis quo rite refulges
  Inter ſacratos, jam ſacer ipſe, choros.
Ille dies tuus eſt: & voce & carmine dignus,
  Feſtivaque cani, ſed meliore, lyra.
At me nec placido naſcentem lumine vidit
  Melpomene, cunas ducere juſſa meas:
Nec dedit e viridi ſceptrum mihi nobile lauru,
  Carminave edocuit vallibus, Aſcra, tuis.
Haec tua fortuna eſt: mihi non niſi paupere vena
  Languida proveniunt carmina, ſi qua tamen.

Quid faciam? tacuiſſe quidem mihi prima voluntas;
Sed fraternus amor, ſed pia jura vetant.
Quidquid erunt igitur, non aegre haec munera noſtra,
Verſiculos tenues, ſuſcipe; quidquid erunt.
Carmina delatos Fratri gratantia honores,
Et meritas palmas, egregiumque decus:
Carmina ſinceri teſtantia foedus amoris,
Pignoraque ingenii, carmina, certa pii.
Quid tamen hic referam virtutes pectoris altas,
Atque animi dotes, & bona magna, tui?
Haec alii: haec referat doctrinae pulcra cupido,
Inque bonas artes non ſatiandus amor:
Quique die, & multa vigilati nocte labores;
Nec merita e lauru ſola corona tibi.
Nam quamvis alii poſſit ſatis eſſe videri,
Et, ſi vera loquar, poſſit id eſſe ſatis,
Non humiles verſus, at nobile fundere carmen,
Et meruiſſe ſuis Delia ſerta comis:
Tu tamen, haud uno quidquam contentus honore,
Innectis crines duplice fronde tuos.
Hinc Phoebea tibi laurus non ſola placebat,
Adjiceret palmam ni Themis ipſa ſuam.
Macte animo, macte, o Frater, virtutibus iſtis!
Scena tui dotes pectoris ampla manet.
Seu libet intrepida viduas defendere lingua,
Pro cauſſa infantum juſta vel arma paras:
Seu rigidis ſcelerum verbis urguere miniſtros,
Seu blando miſeros ore levare reos:
Sive operam, & vigiles patriae impendiſſe labores
Mens tibi, ſi quando publica cura vocat,

At

At vos, ſi ſapitis, miſeri viduaeque, reique,
Orbatus gemino quique parente doles,
Huic agite, huic veſtros tuto committite caſus,
Juraque in ambiguo veſtra tenere foro.
Non eſt, qui cauſſas ignava prodere voce,
Flectere vel pravo jura favore velit.
Non hoc promittit pietas, non ardor honeſti,
Non hoc mens, puro candida lacte magis:
Gnavaque ſedulitas, ſtudiumque inſigne ſciendi,
Atque indefeſſi pectoris ille vigor.
Ominor en. Nec avis certe hoc mihi praeſcia dixit:
Eſt ratio volucrum pennaque voxque mihi.
Ominor en. Campo tibi quae, jam magna, ſub imo
Gloria conſurgit, poſtmodo major erit.
Major erit certe, veniat modo ſerior aetas,
Nominaque in terris non moritura dabit.

ELEGIA III.

GRATULATIO

Ad Cl. Virum

DAVIDEM HOOGSTRATANUM.

AUrea ſi Superos mortalibus otia ſolos
Credimus, & tantum ſuppeditare bonum;
Praeſentem quis non habeat te, Pollio, Divum,
Quo capit haec vates commoda dante tuus?

Commoda, ſi gemmas; quibus haud potiora dediſſes.
  Uſque adeo Clariis otia grata viris.
Nec mirum. ferimus nam quorum ſacra Poëtae,
  Otia Pierides, otia Phoebus amant.
Otia quae vatum mentes coeleſtibus aptant
  Motibus, Aonio corda agitante Deo.
Inde Deo pleni jam non humana loquuntur,
  Ac, licet ore ſuo, non ſua verba canunt.
Sive aliquem aeterna donant per carmina fama,
  Lethaeiſque cavent mergere nomen aquis:
Sive aliquem menſis faciunt accumbere Divûm,
  Plena ubi nectareo pocula rore fluunt.
Quid? non his ducibus perrupit Tartara virtus
  Herculis? his patrii ſcandit in aſtra poli?
Quid? non & quondam coeleſtia tecta petenti
  Hi junxere tibi, Romule, Martis equos.
Quin hos credibile eſt tigres domuiſſe feroces,
  Bacche, tibi, fugeres ut Phlegethontis aquas.
Nec Pollux aliter cum Caſtore in aethera vecti,
  Nunc dubiis nautis ſidera dextra micant.
Non aliter pius Aeneas, in ſede receptus
  Aetherea, pretium pro pietate tulit.
Quoſque referre mora eſt: celebrat ſed nomina tellus,
  Ingenteſque animas celſus Olympus habet.
Felices! quibus extenſa per ſecula fama
  Sacra poëtarum vivere lingua dabit.
Sic quoque tu vives, mea nec praeſagia fallent,
  Sic vives vatis, Pollio, voce tui.
Pollio, non illo, qui nomine dictus eodem,
  Nunc etiam Latiae lauſque decuſque togae,

Pol-

Pollio, Romani menſuram conſulis implens,
Hunc licet Andinus concelebrarit olor.
Nam bene facta tuus tanto canet ore poëta,
Ut ſibi teſtis Iber, teſtis & Indus eat:
Et cum finitimis alio ſub ſole jacentes
Munificam tollant laude ſub aſtra manum:
Urbis & Amſteliae dum terras fama replebit,
Dum pater Ya ſuas in mare volvet aquas,
Te Maecenatem noſcat, patriaeque parentem,
Ac crebros faſces poſtera turba legat.
Multaque praeterea, tenui non carmine nobis
Dicenda, aut levibus contemeranda ſonis.
Te vero ante alios, o Hoogſtratane, beatum,
Haec cui contigerit, conſule dante, quies!
In ſtudiis tibi enim, quae maxima vota, licebit
Poſthac integros compoſuiſſe dies;
Caſtaliae quantumque libet ſub ſtagna morari,
Deliciiſque tuis, monte Helicone, frui.
Ver ubi perpetuum bene olenti gramine campos
Veſtit, & innumeris floribus ornat humum.
Laurea ſilva nemus fragrantibus efficit umbris:
Myrtus Acidaliae vernat amica Deae.
Frigus abeſt; placidi niſi quod facit aura Favonii:
Sideris Icarii nec tamen ardor adeſt.
Innumerae volucres per ramos dulce queruntur:
Sola ſed Iſmarium non gemit ales Ityn:
At centum pluresque ſonant citharaeque lyraeque,
Semper & Arcadio buxus amata Deo:
Laetaque Permeſſi, Phoebo ducente, caterva
Exercent faciles per nova prata choros;

Dum-

Dumque choros celebrant, & vocibus aëra mulcent,
Exulat e toto cura maligna loco.
Nimirum haec inter tu tempora nobilis otii
Nunc condes, feſtos ſemper agesque dies.
Et modo Pierii cantus auditor in antro
Ad caput undantis lene jacebis aquae:
Et modo non humili plectro meditabere magni
Conſulis, ut fas eſt, ipſe perenne decus.
Hoc fremat, & nolit quiſquis ſit Zoilus iſte,
Qui mala perpetuo pectora felle madet.
At non is nolit, cui res ſe conſule digna
Viſa eſt, Palladium demeruiſſe virum.
Se Maro, ſe Flaccus jactent licet, ille ſuperbus
Maecenate ſuo, Caeſare at ille ſuo;
Non eſt invideas, o fortunate, quod illis,
Maecenas quamquam nec tibi Caeſar adeſt;
Ille tuus ſed adeſt magnum tibi Pollio numen,
Ille tibi amborum ſcilicet inſtar habet.
O quoties, dicens, Deus haec Deus otia fecit,
Illi libabis pocula plena mero.
Nec tibi parva dedit; nec, ſi vis plura, negabit.
Non tua plura tamen mens bene grata rogat.
Sed tamen iſte dies illuxerit, auguror, olim,
Nil exoptanti quo tibi plura dabit.
Sic faveat meritis venturum laudibus aevum
Conſulis, ac numeris, culte poëta, tuis.

ELEGIA IV.

V. C.

FRANCISCO OUDENDORPIO,

Scholarum apud Neomagenſes Rectori inaugurato.

O ita ſim felix; ita vatibus hauſta vetuſtis
  Reſtinguat noſtram Pegaſis unda ſitim!
Atque ita, per multum quae condo operoſa laborem,
  Carmina cum Phoebo Muſa perire vetent!
Ut toto tibi corde novos gratamur honores:
  Ut tua ſunt magna gaudia parte mea.
Nec magis exilui privis ſucceſſibus olim,
  Quam cum fama tui venit, Amice, boni.
Nec mora: mente pia, quoniam non voce licebat,
  Facta procul poſito candida vota tibi:
Auguriumque ferens, ratione monente, futuri,
  Ad majus, dixi, ſit gradus iſte decus.
Atque iterans mox omen idem, fac Jupiter, oro,
  Eventus habeant omina noſtra ſuos.
Sic ſtudiis explere piis conabar amorem,
  Quum ſubitus crevit per mea corda calor.
Ac ſacrum ratus ardorem, ſeu Delius hujus,
  Numen amicitiae ſeu magis auctor erat:
Quin age, quid, dixi, nunc carmina noſtra morantur?
  Haec citharam poſcit feſtaque verba dies.
Non hodie fuerint ignava ſilentia tanti,
  Aut fugiſſe notas, improbe Mome, tuas;

Offi-

Officiis ut deeſſe piis, ut foedera longi
  Sancta ſodalitii non meminiſſe queam.
Seu furor eſt, dulcis furor hic, ſi poſcat amicus,
  Sive amor, experiar, quid mihi poſſit amor.
Quod ſi materiae tenuis ſit ſpiritus impar:
  Sufficiet vires numen utrumque novas.
At, Franciſce, ſeges meritorum denſa tuorum
  Orſurum laudes praepedit ipſa tuas.
Me, vocat hinc candor, qualem decet eſſe poëtae,
  Qualis ineſt nivibus, quae cecidere recens:
Carminaque hinc priſci florem ſpirantia ſecli,
  Quum caput inſeruit Muſa Latina polo.
Quum dulces cecinere tenerrimus Umber amores,
  Ac lucere ſuum qui cupit uſque focum.
Vexit ad Auſonios fines quum Dardana ſacra
  Per mare, per flammas, per fera bella, Maro.
Quum palmam potuit Grajis rapuiſſe diſertis
  Ingenii Naſo fertilitate ſui.
Quid mirum? a teneris finxit te nempe poëtam
  Melpomene, ſacris terque rigavit aquis.
Hinc quodcumque canis, Muſae dictaſſe putantur,
  Phocaicisve tibi Cynthius ipſe jugis.
Nec mulcere ſat eſt noſtras concentibus aures:
  Devincis meritis ſecla priora tuis.
Nam veterum chartis ſi quid librarius error,
  Peccaritve dies, tollere cura tibi.
Hic tua ſe ſollers induſtria prodit ubique,
  Limaque judicii cuncta ſcabroſa polit.
Ille, tuae famae primordia, Julius eſto
  Teſtis, ab obſequio qui ſibi nomen habet.

Jam-

Jamque ſalutiferam ſuſpirat, civica, dextram,
Qui canit Emathiis bella poëta jugis.
Utque juves per onus coepti modo muneris, orat.
Sic humeris ſedeat ſarcina parva tuis.
Sic penetrale tibi Romana Minerva recludat:
Sic adytum reſerat Pallas Achiva ſuum.
Sic per te redeat labentum fama ſcholarum;
Quod debere tibi res Neomaga velit.
Quin animo, Lucane, licet, ſpes concipe laeto:
Non vati vates ipſe negabit opem.
Jam tibi ſanatis plagis, quae corpore toto
Mille ſedent, veniet priſcus in ora decor.
Quo feror? heu! medio curſu negat ire caballus:
Et procul a terris deſerit aura ratem.
Da veniam, Franciſce; vetor nam plura referre,
Materiam vena deficiente ſuam.
Haec quoque parva libens ſociae cape munera dextrae:
Quamvis ſint meritis illa minora tuis.

ELEGIA V.

AD

JANUM GRAEFLANDIUM.

O mihi pectoribus penitus, penituſque recepte,
O praeſens juvenum, Jane, meumque decus.
Scilicet eſt aliquis teneros odiſſe poëtas
Qui queat, & carmen dicat inertis opus!

Huncne

Huncne ego crediderim duris de cautibus ortum?
  Huncne ego crudeles progenuiſſe feras?
Fallimur. immanis fuerit magis illius auctor.
  Non ſatis eſt ſaxis, duritiaeque feris.
Mite vel ingenium his. teſtes Amphionis arces,
  Teſtes Phoebea moenia ducta lyra.
Orphea, ſunt teſtes, tigreſque leaeque ſecutae
  Sponte per umbroſi ſaxa fragoſa jugi.
Ergo hunc Pegaſidum numen geniale Sororum,
  Nec valet illecebris tangere Apollo ſuis!
Nec quidquam vatis ſanctumque & amabile nomen,
  Ingenuaeque artes pectus agreſte movent!
Artes, ipſa quibus ſtupuerunt Tartara quondam,
  Ac ſtupuit Stygiae Rex ferus ipſe domus:
Ternaque compreſſit latrantia Cerberus ora:
  Eumenidum lacrimis dimaduere genae.
Talis erat Ciconum ſaevarum turba profana,
  Quarum ſe monſtrat Zoilus iſte genus.
Talis erat, ſacri quondam quum ſanguine vatis
  Non timuit dextras conſcelerare ſuas.
Quum, cui criſtati vel ſuſtinuere dracones
  Parcere, vel rabidae ſuſtinuere ferae,
Humanae, humanas ſi quis putet eſſe vocandas,
  Parcere, proh facinus! non potuere manus!
Flexiſſet tamen has, eſſet ſi auditus ab illis:
  Obfuit ingenti buccina rauca ſono;
Obfuit inſano ſublatus ad aſtra tumultu
  Clamor, & horrenda tympana mixta tuba.
Illarum poſſes tamen excuſare furorem;
  Scilicet impulerat ſaevus ad arma dolor.

Quid

Quid moror hunc? at tu, melior cui riſit Apollo,
Graeflandi, & pectus molle Thalia dedit,
Ecquid adhuc ſolito Muſas dignaris amore,
Thespiadumque aras & ſacra rite colis?
Ecquid Pieria meditari carmen in umbra,
Caſtaliique juvat te bibere amnis aquas?
An quoque jam dixti, penitus mutatus ab illo,
Aeternum Phoebo Pieriſinque vale?
Forſan, neſcio quae, capiunt te nomina rerum
Grandia, & eſt vatum gloria viſa levis.
Forte etiam ſterili voluiſti haud amplius arti,
Et male lucroſis invigilare ſacris.
Hei! tibi ſi ſtolidi temeraria murmura vulgi,
Hei! tibi ſi tanti livida turba fuit.
Quid vero queror haec? quid inania crimina fingo?
De firmaque libet quid dubitaſſe fide?
Non hoc illa facit virtus ſperare decora,
Non animi candor lacteus ille tui.
Melpomene neque enim naſcendi tempore fruſtra
Te gremio excepit, Jane venuſte, ſuo:
Sedit & ad cunas, ne quae mala lingua nocere
Creſcenti poſſet, ſedula cura tuas:
Fruſtra nec frontem conſperſit baccare, fruſtra
Nec tenerum lauru cinxit Apollo caput.
Tu modo, qua procul es culpa, ut procul eſſe puteris,
Carmina ſis, oro, condere ſaepe memor,
Carmina, ſincerae certiſſima pignora mentis,
Carmina, quae haec aetas, quaeque futura probet.

E ELE-

ELEGIA VI.

Juveni Praeſtantiſſimo

GODARDO CROONENBERGIO,

Quum J. U. D. crearetur.

ITe leves elegi; timidumque fugate pudorem;
  Ruſticitas illa eſt, non pudor; ite leves.
Non eſt, quod dentis morſum timeatis iniqui;
  Neu ſubitum culpent unus & alter opus.
Sint numeri, liceat, ſicut ſunt, non bene culti:
  Incultis veniam Zoilus ipſe dabit.
Ite igitur. nec enim vos ad certamina laudis
  Mitto, quibus fuerit ſuccubuiſſe pudor.
Sed nec Caucaſeas jubeo tranſcendere rupes,
  Biſtonii nec vos ora ſubire ducis.
Ibitis ad veterem, magis ut properetis, Amicum,
  Et via non longa eſt, & pia cauſſa viae.
Arcibus Amſteliis egreſſos veſpere Leida
  Accipiet blando mane rubente ſinu.
Adde quod, Aonii veneratus numina montis,
  Carmen & artifices carminis ille colat.
Nec mora; victorique novo, myſtaeque recenti
  Dicite Godardo proſpera verba meo.
Et date laetitiae, gratantes inter amicos,
  Pignora feſtivis non dubitanda ſonis.
Aſt alium dotes animi mentemque politam,
  Et ſinite emeritum commemorare decus.

Ne

Ne, vos dum facitis praeconia laudis, Amico
  Forte verecundus ſurgat in ora rubor.
Aſtraea titulos gratari dante relatos
  Eſt ſatis. Obſequii vos ea ſumma manet.
Quod facitis, tenue eſt; at praetermittere certe
  Non excuſandi criminis inſtar habet.
Pauca tamen vobis quoque par eſt addere vota.
  Ut, bene quod coepit carpere, pergat iter:
Et ſibi jam partos alii comitentur honores,
  Hoſque aliquid ſemper, quo mereatur, agat.
Ut miſeros poſſit facunda voce levare,
  Et nomen Batavo grande referre foro.
Quae, ne praecipites rapiantur vana per Auſtros,
  Ipſa Themis, triplex & rata Parca velint.

ELEGIA VII.

AD

FRANCISCUM OUDENDORPIUM,

Quum Harlemenſium Scholarum Rector inauguraretur.

MIrabar, ſubito faceret quid prata virere,
  Omne quid alberet flore repente ſolum;
Indueretque ſibi properatum frondis honorem,
  Moenibus Harlemiis gloria rara, Nemus:

 Cur

Cur adeo volucrum reſonaret cantibus aër,
His praeëunte novos te, Philomela, modos:
Quid Satyri, Faunique, exercerentque choreas
Capripedes mixtis Panes Hamadryaſin:
Ipſe pater, multa ſtipatus Naide, Sparnus
In laetis iret laetior ipſe vadis.
Sic, quando celſi nemoroſa cacumina Pindi,
Aut Helicona ſuum viſere Phoebus amat,
Et Ver, & Veris Zephyrus comes ante videntur
Ire, ſimul pingi flore recente viae:
Arboribuſque novae frondes, nova gramina campis
Reddi, adventantis proſpera ſigna Dei:
Ac pariter terras, pariter juveneſcere coelum:
Quiſquis cernit, Io Cynthie, clamat, ades.
Hoc erat. adventum vatis venerantia laetis
Omnia coeperunt luxuriare modis.
Fallor? an ipſe, latus tibi claudere viſus eunti,
Enthea qui vatum pectora, Phoebus, agit,
Harlemidûm blandas tecum migravit in oras,
Adducens comites ex Helicone Deas.
Felices campi nimium, fonteſque beati,
Silvaque gramineos quae tegis alta toros!
Vos eritis jam mutato Parnaſia Tempe
Nomine, Pegaſei vos eritiſque lacus.
Nec gelidas umbras, qualis modo, rauca cicada,
Nec, qui turbet, erit garrulus anſer, aquas.
Dulcia ſed liquido cantabit gutture vobis,
Qualia Phoebus amat, carmina blandus olor.
Qualia Wittiaden caſtae docuere Sorores
Dicentem veſtrum, Sparne Nemuſque, decus.

Qua-

Qualia dictavit tenero Cytherea Secundo,
  Haganaſque ulmos diſcere juſſit Amor.
Seu non plebejis in lucida verſibus aſtra
  Mille voluptates, commoda veſtra, feret:
Seu, quando teſtes miſeri volet eſſe furoris,
  Vobiſcum & dominae de feritate queri,
Tullia, ſecretis Echo reſonabit in antris,
  Tullia, per ſpiſſas concinet aura comas.
Tullia dura, quid heu! ſpernis ſuſpiria noſtra,
  Nec rigida molles accipis aure preces:
Tullia dura, tuusne tibi ſine fine poëta
  Vilis ero. ah! vita cara puella magis.
Inſerere O utinam! valeas in pectora vultus,
  Haecque oculis poſſent tota patere tuis:
Quam grave vulnus ibi, forſan miſerata, videres,
  Oſſaque, depaſcit quae tuus unus amor!
Quam puras flammas! quales habet igneus aether.
  Auguror: his fiam ſed cinis ipſe brevi.
Auguror: in cineremque abeo, mihique ultima, ſenſi,
  Hora inſtat. jam nunc, Tullia dura, vale.
Vos Zephyri ad dominam, per vos fata aſpera teſtor,
  Portate extremum, me pereunte, vale.
Ferrea ſit, tamen auctores mihi mortis iniquos
  Damnabit faſtus, ſaevitiamque ſuam.
At prohibete nefas, amens quum forte dolore
  In crines, miſeras & volet ire genas.
Tantum det lacrimas; illae ſi exſtinguere poſſint,
  Quae cineres perſtat laedere flamma meos.
Quid quereris, Franciſce, adeo? miſerabile carmen
  Deſine. quin laetos concipe mente modos.

Tempus adeſt, tibi quum, ſcopulo modo ſurdior omni,
Duritie poſita Tullia mitis erit.
Igne Cupidineo jam nunc glaciale liqueſcit
Pectus, ut a Phoebo nix propiore ſolet.
Jam vatis curare ſui ſuſpiria diſcit,
Jam gemitus, lacrimas & numerare tuas.
Oſcula jam patitur carpi, jam, tempora parva
Concedas, ultro porriget illa tibi;
Ac, parili ſociae ſuccenſa cupidine vitae,
Ardebit caſti foedus inire tori.
Ne dubita. Haec claro monuit Venus ore locuta,
Concuſſiſque alis praebuit omen Amor.

ELEGIA VIII.

Juveni Nobiliſſimo

JACOBO GRAEFLANDIO,

Summos in utroque jure honores adipiſcenti.

ET merito. Quid enim tibi non gratarer honores,
Dum nectit capiti laurea ſerta Themis?
Serta Themis Lauri, lauri victricis Apollo
Serta, triumphanti debita ſerta tibi?
Non ea amicitiae, Graeflandi, vincula noſtrae,
Non ita nos nudo nomine junxit amor:
Ut queat indictum te mittere noſtra Thalia,
Carminaque ad feſtas dicere nulla dapes.

Non

Non tamen ulla meis tamquam ſi fama veniret
  Verſibus: eſt noſtrae gratia parva lyrae.
Exigit hoc tecum non parvi temporis uſus:
  Exigit hoc Frater nec minus ille tuus.
Ille tuus; cui me conjunctum glorior annis
  A teneris, una mente ligante duos.
Qui non me Pyladen, me compellare refugit
  Saepe ſuum Euryalum, Pirithoumque ſuum.
Per quem veſtra mihi patuit feliciter, illa
  Faſcibus & multo ſtemmate clara, domus.
Per quem, quod longos ſuperi dent creſcere in annos,
  Non leviter tibi ſum factus amicus ego.
Tu modo, tu tenuem non adverſare Camenam,
  Officium citharae nec leve ſperne meae.
Nam neque virtutes ſublimi ad ſidera verſu,
  Ferre meum eſt, animi divitiaſque tui;
Et ſtudium, & ſera vigiles de nocte labores,
  Ac quidquid pulcrae nobile mentis opus.
Quod poſſim, mitto gratantia verba, Jacobe,
  Pauca tibi, & parvus munera parva fero.
Sic, ubi major abeſt placandis hoſtia divis,
  Pauperis ad faciles concidit agna focos.
Quin tamen hoc ſatis eſt parce audiviſſe volenti
  Promeritos titulos, promeritumque decus:
Cui, non captanti praeconia, gloria abunde
  Eſt animus laudis conſcius ipſe ſuae.
Quidquid id eſt igitur, placido, rogo, ſuſcipe vultu.
  Sic etiam numquam vana precere Deos.
Sic tibi conatus pulcros Themis alma ſecundet,
  Siſque decus patriae grande, tuaeque domus.

ELEGIA IX.

In Juliam.

Julia, ſpreta jaces, nec amantem forma decorque
  Tangit, ut ante, tuum; Julia, ſpreta jaces.
Nunc fruſtra crines cura eſt componere; fruſtra
  Incluſum veſtis colligit arta latus;
Ac collum gemmis, auroque onerantur amictus;
  Et teriti multus pendet ab aure lapis.
Nec prodeſt cantus pulcre didiciſſe canoros,
  Brachiaque ad numeros apta movere ſuos:
Illi jam vocem ſurdas inflectis ad aures,
  Jam periit motus gratia cuncta tui.
Si cauſſam cupias mutati ſcire caloris.
  Hoc dominae faſtus, crede, dedere ſuae;
Illi non iſtam formam patiuntur amari;
  Illi nunc facie plus valuere bona.
At dum mitis eras, nec turgida corda gerebas,
  Incultis poteras ipſa placere comis.
Nilque tuum auxiliis gemmarum corpus egebat.
  Ornatus formae, mens bona, dives erat.
O bene quod caſſes fugit, quod vincula rupit,
  Subduxit miſero quod ſua colla jugo!
Ah! quoties de te praeconia maxima fecit,
  Carminaque in laudes condidit ille tuas.
Carmina, quae rapidus velit O! nunc diſſipet Eurus,
  Aut altis penitus deprimat aequor aquis.

Jam

Jam quoque quod placeas, quod te miretur ubique,
 Te ſuſpiret amans, munus id hujus habes.
His tamen officiis faſtus, ingrata, rependis?
 Ah! miſer obſequio laeditur ille ſuo.
At te poena manet. neque enim ſua numina inulte
 Sperni Erycina ſinunt, & ferus ille Puer.
Praecipue fuerint quum laeſi in vatibus illi,
 Acrior offenſis ira dat arma Deis.
Tunc faciunt, oculo veniant modo nulla vibrante
 Spicula, vel nullo pondere miſſa cadant:
Tunc faciunt, vultus mutetur, densque nigreſcat,
 Et fugiat toto gratus ab ore color:
Formoſique fluant, nullo vellente, capilli;
 Ante tuos annos & videaris anus.
Tum ſuccedit amor, quali ſtimulantur equarum
 Pectora, quae famae nilque pudoris habent.
I nunc, & ſpeculi ſolitos ab imagine flatus
 Sume tibi, & miſerum dotibus ure tuis.
Quid petis amplexus ſpreti modo, Julia, amantis?
 Quo ſubito faſtus nunc abiere tui?
Nilne pudet, genibus nil te procumbere flexis?
 Si neſcis, ſupplex ſic tibi ſaepe fuit.
Sic tibi ſaepe fuit. Sed tunc, quum forma manebat,
 Verſa nec in cinerem fax erat illa tua.
Nunc neque blanditiis, precibus neque flectitur ille.
 At clamant, Merito, qui tua damna vident.
Sed tu quod carmen, quas tu cauſſaberis herbas?
 Nullum herbae, nullum carmina crimen habent.
Priſca ſuperſtitio eſt, magicas per carminis artes
 Corpora laeſa queri, quae ſua culpa premit.

Certe non ullis periit tua forma venenis.
  Nocturno nocuit non tibi ſaga dolo.
Non ſiccum traxit pallentia philtra palatum.
  Non jecur infelix Theſſala fixit anus.
At nihil oderunt aeque ac faſtidia Divi,
  Immitique domant corda ſuperba vice.
Julia, praemoneo, ſapiens fuge laedere Divos,
  Ne veniat verbis ſera querela tuis.
Heu! fuge, &, ut fugias, ingratos deſine faſtus,
  Ac fias vati rurſus amica tuo.

ELEGIA X.

EXPOSTULATIO

Cum Musis.

NOn mihi ſunt tanti, valeant citharaeque lyraeque,
  Ut cupiam toties irrita vota ſequi:
Omnia quum faciam, vatum quum numina adorem,
  Pimplaeiſque feram tura merumque focis.
Irrita vota tamen ſequor, & ſpes capto fugaces.
  Ceu ſitit in mediis garrulus ille vadis.
Huic tamen & culpaque ſua, linguaque proterva,
  Quam patitur, merito poena reperta fuit.
Sed quae culpa poteſt dici mea, quidve ego feci,
  Sit ſimilis quare poena luenda mihi!

An,

An, velut ille, dapes humana e caede paravi,
Et movi in ſuperos verba ſuperba Deos?
An, fera ſacrilegi referens mala facta Lycurgi,
Inſtitui vites laedere, Bacche, tuas?
Aut vobis, vitato exire volentibus imbre,
Arguor, Aonides, oppoſuiſſe forem?
Aut in contemta laedens tua numina matre,
Iram commerui, Cynthie dure, tuam?
Quid juvat eſſe pium? nobis ſi crimine nullo
Laeſorum maneant numina ſaeva Deûm.
At mitem veteres perhibent te, Phoebe, poëtae,
Et facilem Clario ſemper adeſſe choro.
Te quoque, Bacche pater, non durum numen habere,
Senſit in ignotis flens Ariadna jugis.
Nunc quoque, ſic numquam deſint qui turis honores
Rite ferant vates, & ſacra veſtra colant:
Si numquam ſtolidae curavi murmura plebis,
Si ſprevi voces, improbe Mome, tuas;
Carmina ſi ſemper donum coeleſte putavi;
Nec ſine carminibus vita placere poteſt:
Nunc quoque vos faciles adſitis rite vocanti,
Speratamque diu ferre velitis opem.
Fallimur? an fauſtis aliquid promittere ſignis,
Jam ſuccenſa minus numina, viſa mihi.
Fallimur? an faciles veniunt in carmina vires,
Et numeri vena proſperiore fluunt.
Sic eſt. rite Dei, juſtaque in lege vocati
Noluerunt precibus pondus abeſſe meis.

ELE-

ELEGIA XI.

IN NUPTIIS

Viri Clariſſimi

FRANCISCI OUDENDORPII,

Et lectiſſimae Virginis

SARAE TORRENIAE.

ILle O, quem Cytherea, graves miſerata labores,
Reſpicit, & blando numine mitis Amor;
Quem, placitae demum exorata mente puellae,
Fauſta canens Hymen jam manet ante fores;
Ter quater ille mihi felix, partaque videtur
Nil fortunatis cedere ſorte Deis.
Huic nivei lactis currunt, huic flumina mellis,
Occiduae & ſudant balſama Eoa plagae,
Nectareoſque auro bibit e ſpumante liquores,
Et Jovis Ambroſia veſcitur uſque dape.
Seu modo amans dominae blandos redamantis ocellos
Et videt, & demto fine videre cupit:
Seu modo in uvidulis figit flagrantia labris
Oſcula, dat ſociae qualia turtur avi:
Nunc roſeam cupide cervicem amplexus, Eoi
Aurea non mavult ſceptra tenere ſoli:
Nunc ipſe a teneris collum circumdatus ulnis
Optat perpetuo talia vincla pati:

Mox

Mox caſtis thalamis, aequa Junone, receptus
Gaudia cum domina plena favente capit.
Gaudia, ſed quae non umquam novere profani,
Quîs furtiva Venus ſola placere poteſt.
Gaudia, quae propriis Hymenaeus Amorque pudicus
Deliciis, propriis imbueruntque bonis.
Quae laudare utinam! poſſem, felicior eſſem.
Sed ſuus haud implet tam mea vela Notus.
At, Franciſce, manet te nunc pulcerrima ſors haec,
Nam Venus aſſiduas audiit alma preces:
Jamque dat optati portus contingere Amoris,
Victricem ſertis & redimire ratem.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.
Nunc mihi, non alias, Eratûs vocalia plectra
Maluerim, citharam Terpſichoreſve dari:
Fatidicaeque ſacro laurus ſit germine veſci,
Ac me Caſtalii proluere amnis aqua:
Ut tecum, Franciſce, tuam Torrenida poſſem
In ſuperas merita tollere laude domos:
Ac veſtrum, o Sponſi, ſocias Hymenaeon ad aras
Rite comes feſta concinuiſſe lyra.
Nam canerem, ſatus ad Nili quae flumina vates
In Mariae & thalamis principis ante ſui:
Quaeque ſacer magnis Hymenaeis ante Catullus
Aequoreae Thetidos, Theſſaliique viri.
Hic neque carminibus, nec me jam vinceret ille.
Tantam fortunam ſed tamen unde mihi?
Dicite, Piërides, tenues licet, o Hymenaee,
O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.

Nunc

Nunc Veneris cuperem ſpatiari ſuavibus hortis,
Myrtus, neſcio quid, molle ubi mota ſonat;
Excluſiſque aliis regnat levis aura Favonii,
Semper odoratas terraque fundit opes.
Ut legerem ipſe mea, manibuſque adjutus Amorum,
Albentes violas, Coryciоſque crocos,
Et cum narciſſo florem ridentis acanthi,
Prognataſque tuo ſanguine, Adoni, roſas,
Canaque poeniceis hyacinthis lilia mixta,
Teque, gerens floris juge, amaranthe, decus.
Quos inter gratam ſpiraret amaracus auram,
.Et ros cum caſia dulcis olente maris.
His ut te, Franciſce, & te, Torrenia, donem,
Talia feſtivas condecuere comas.
Nectite, Pïerides, genialia nectite mecum,
Nectimus & Sponſis, dicite, ſerta novis.
Nunc mihi, Sponſa, tui decus O! quae pingeret oris,
Eſſet Apellea dextera in arte potens.
Heroinarum, veteris quas gloria ſecli
Praedicat, a tabulis non prior ulla foret.
Seu laetae nigros imitarer frontis ocellos,
Sive Cupidineas, lumina clara, faces:
Lumina, quae radiis ſuperet non Gnoſia ſtella,
Non geminus Caſtor, Pleïadumve chorus.
Seu vos, O pulli crines, quos Leda, Tonantem
Ceperit his quamquam, praeferat ipſa ſuis.
Seu niveis cygni plumis certantia colla,
Et quibus Aſſyrium, brachia, cedat ebur.
Labrave coeleſtes manantia nectaris imbres,
Suaviter aut ſparſas lacte roſaque genas.

Pia-

Pingite, Pïerides, Sponſam fuſco ore decoram,
Ore nec eſt alio, dicite, grata Venus.
Sed mentis celebrem quali teſtudine dona?
Eja age, Phoebe, magis ſed mihi, Sponſa, fave.
Ipſa ades O! tibi naſcenti ſic optuma Juno
Adfuit, & cunas duxit amica Charis.
Moxque ſuo fovit gremio te flava Minerva,
Inque artes, mores erudiitque ſuos.
Hinc tibi, credibile eſt, probitas fluxere, pudorque,
Hinc ea ſimplicitas ruſticitate procul.
Hinc placidi dotes animi, naſcentia quales
Secula, Saturno rege, dediſſe ferunt.
O ter felices! bona tot pulcerrima quondam
Quae peperit Mater, qui genuitque Pater:
Tu vero ante alios tu feliciſſimus omnes,
Sponſe, es, cui conjux talis habenda datur.
Dicite, Pïerides, formae quam munere Sponſa,
Tam dives mentis, dicite, dote bonae eſt.
Nunc adſis mihi, Sponſe; & te de matre cadentem
Excepere ſuo numina blanda ſinu.
Et tibi naſcenti riſit non laevus Apollo,
Ad cunas ſedit Caſtalidumque chorus.
Hinc tibi, forte prior, mollem factura ſoporem,
Dulci Erato dulces praecinit ore modos.
Cinge age, cinge ſacras tibi, Cynthie, baccare cunas;
Infanti noceat vox mala nequa meo.
Blande puer, linguam quin tu mihi prome volentem.
Huic en! mellis apis munera ſponte tulit.
Quid citharam cupis? O requiem cape, parvule. creſces.
Et Phoebus ſpondet tunc ſua plectra tibi:

Au-

Aurea, ſi ſomnum modo nunc capis, aurea plectra.
Dormis. promiſſi eſt factus Apollo reus.
Spargite, Piërides, lauru cunabula; in illis
Depoſitum Phoebi, dicite, grande jacet.
At, ventura cano, linguis animiſque favete,
Melpomene motis excipit inde comis.
Quidquid adeſt Superûm, puero det munera noſtro.
Vos vultum, mores & date trina Charis.
Tu meritos duplici crines innecte corona,
Phoebe pater vatum, Phoebe repertor opis.
Mox etenim, duce te, veterum quot vulnera vatum
Sanabit! duce te carmina quanta canet!
Nunc illi Romana libens & Dorica Pallas
Sponte reclude, adytis quidquid ubique latet.
Tu quoque, tu linguae vires ſuadamque potentis
Confer age, Atlantis Pleïoneſque nepos.
At, mi nate, manent quae te ſuſpiria Amantem?
Sed bene habet. Dominam flexit amica Venus.
Dicite, Piërides, vati nova, dicite Sponſo
Carmina. Conveniunt carmina utrique nova.
Nunc ades, o Hymenaee! ſacra ſed veſte decorus,
Cinctus odoratum ſed caput ante roſis:
Dextraque ſuſtineat faculam tibi, flammea laeva,
Luteus & niteat ſoccus utroque pede.
Sic te namque ferunt ceſſantem a matre puellam
Abripere, & cupido tradere poſſe viro.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.
Quin Sponſi prodite foras. mora libera non eſt.
Prodite. Ipſe Hymen ad ſua templa praeit.

Car-

Carminaque effundunt jam conjugialia vobis,
Tibiaque & lotos, mixtaque voce lyra.
Ac dudum ſpargit fratrum pharetrata caterva
Aurata myrti fronde virentis humum.
Pompa ſed ecce venit. Pleno Hebe pulcra caniſtro
Amborum Paphias ſpargit in ora roſas.
At cultu, at ſpecie quam formoſiſſima Sponſa eſt!
At decet ut caſtas pallor & ipſe genas!
Sponſi O quale decus! viſum eſt vix cedere Sponſae.
Sic Cephalus, junxit quum ſibi Procrin, erat.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.
Pronuba nunc venias Juno; & Concordia tecum
Conjugio felix vincula flava ferat;
Vincla, duas animas quîs ſic ſtringatis in unum,
Ne ſint, neč cupiant amplius eſſe duae.
Vincula, quae firme maneant, annoſa ſenectus
Inficiat cana dum caput omne nive.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.
Sancta Venus propera, properate huc Gratia triplex,
Ceſto cincta Venus, Gratia nuda ſinus.
Atque ita Franciſcoque meo, Saraeque venuſtae
Sternite formoſum flore frequente torum.
Fragranteſque Arabum meſſes incendite flammis,
Impleat ut thalamos hinc genialis odor.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.
Exſeruit ſed jam formoſior Heſperus orbem.
Jam vocat ad feſtas nox quoque feſta dapes.

F Hanc

Hanc juvenes implete choris, implete puellae,
  Carminaque alternis grata ſonate modis.
Hanc etiam multo fas eſt producere Baccho,
  Dum vino radios ingerat orta dies.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
  O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.
Nocturnos iterum ſed condidit Heſperus ignes.
  In roſeoque nitens Lucifer axe movet.
Eia agite, in thalamos Nuptam jam ducite Nymphae.
  Hoc vos hoc precibus Vir novus uſque rogat.
Ducitis? An ſtat cum Sponſo pretium ante paciſci?
  Ducite. teſte novas ſpondet Amore dapes.
Quin Nuptam in thalamis, Nymphae, jam linquite ſolam.
  Gaude age, Sponſe, tibi jam crepuere fores.
Ire licet, licet ire, ubi te Venereſque Jocique,
  Mille voluptates, gaudia mille manent.
Tu modo, ne lacrimae te forte preceſve morentur,
  Ultima conjugii noſcere perge bona.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
  O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.
Excepit cupidos lectus genialis amantes.
  Tu, Lucina, operi nunc age dextra fave.
Tu facias, matri formoſus rideat infans,
  Sol peragat curſus quam ſemel ante ſuos.
Multaque ſubcreſcat proles, ſimili ore parentes,
  Et morum referens ingeniique bonis.
Dicite, Piërides, mecum Hymen o Hymenaee,
  O Hymenaee Hymen, dicite, proſper ades.

ELE-

ELEGIA XII.

Reverendo Eruditiſſimoque Viro

DANIELI SIMONI SIBERSMAE,

Quum ad Eccleſiaſticum munus in pago
Coudomenſi eſſet vocatus.

QUisquis ades, faveas. novus en delubra ſacerdos
  Ingreditur Daniel rite ſacrata meus.
Nunc precor in laudes Polyhymnia noſtra reſolvat
  Ora volens, feſtos praecipiatque ſonos!
Non tamen ut ſperem raras exponere dotes,
  Et bona quae diti pectore clauſa tenes.
Non opus eſt noſtrum, tanti maris aequor arare;
  Conveniunt cymbae flumina parva meae.
Hic labor hic maneat, ſi qui mare tendere in altum,
  Suſtineantque Notis lintea plena dare.
Hi, vigor in vera, dicant, quid prole paternus,
  Et quid mens claris aemula poſſit avis:
Ut cultura diu doctis agitata magiſtris
  Ubere ditarit jam bene nata novo:
Et doctrina libris avide collecta vetuſtis
  Pectoris ingenuas amplificarit opes.
Hinc tua Pierio deſtillat nectare lingua:
  Et lyra vocales edit eburna ſonos.
Carmina ſint teſtes facili manantia vena:
  Pelignis cecinit qualia Naſo ſuis.

Pectora nec lateant plumis certantia cycni,
  Maeander liquidis quem modo lavit aquis.
Inque Deum nullo pietas obnoxia fuco;
  Cultus & a vana religione procul.
Ter felix populus! tali ductore ſupremi
  Noſcere cui Patris jura verenda datur,
Tertareoſque lacus, triſtemque evadere Avernum,
  Ac licet aetherea tendere in aſtra via.
At tu macte animis, Daniel; nec te labor ingens
  Terreat. egregiis mentibus alta placent.
Da nunc, quid florens poſſit, documenta, juventus:
  Sic Deus auſpiciis adnuat ipſe bonis:
Sic aevi ſaturo poſſis ſuccedere patri,
  Et quondam eloquio gaudeat Ya tuo.



PETRI

PETRI D'ORVILLE ELEGIARUM LIBER QUARTUS.

ELEGIA I.

In Amorum Scriptores.

SCilicet inſanos eſt qui decantat amores,
 Et fingit miſero crimina multa ſibi.
Nunc hujus jurat, nunc illius ignibus uri:
 Dum magis haec forma, moribus illa, placet.
Nunc Paphiae grates voto canit ille potitus:
 Nunc Venerem duram difficilemque vocat.
Et modo ſe excluſum, modo ſe fert eſſe receptum:
 Januaque arbitrio clauſa, patetve, ſuo.
Oſculaque, aut quidquam praeter canit oſcula raptum:
 Pro quibus & nectar ſpernat, & ambroſiam.
Frivolaque haec tanti, famam ut contemnere poſſit,
 Fabulaque ut ſeclis omnibus eſſe velit.
An, quum tot dominas, quum tot ſibi crimina jactet,
 De tanto numero nulla ego vera putem!
Unde, niſi ex vini numeroſa laude ſitiſſe,
 Argueris multum ſemper, Homere, merum?
Quis non vinoſum, non jurabitque procacem,
 Teïa ſcripta ſenis qui modo cumque legat?

Larva tegit turpem pellucida, carmina ſi quis
  Caſta neceſſe neget vatibus eſſe piis.
Quis furor eſt, nudis famam poſtponere verbis;
  Atque emere ingenti damna labore ſibi!
Quis furor eſt, turpi Parnaſia ſacra notare
  Labe, vel ingenuas proſtituiſſe Deas!
Dic age, virginibus quid cum Cythereïde molli,
  Cumque illo Puero, cui placet omne nefas!
Ite procul, procul ite locis, gens improba, ſanctis,
  Nec temerent foedi limina caſta pedes.
Illis, Pierides, ſapienter veſtra negate
  Munera, & hoſtiles pellite ab aede manus.
Hos propter vobis quondam convitia facta
  Plurima, nunc etiam crimina multa gravant.
Quin aliis potius donatis praemia tanta.
  Quid laedant dominas munera dia ſuas?
An, qui cuncta, Puer veſtras quoque poſſidet artes,
  Largiturque ſua non ſua dona manu?
Vosne etiam captas ſi non premat ille, videtur
  Haud petere e tota gente tributa Deûm?
Quid prodeſt, Phoebus, liquido qui nubila tergit
  Aethere, ſi veſtris praeſidet ipſe choris!
Tunc quum Terrigenae ſcanderunt culmen Olympi,
  Pro Jove quaeque, puto, fortiter arma tulit.
Aequior ecce ſubeſt pugnandi cauſſa, Camenae:
  Jura pudicitiae bella movere jubent.
Virginitas vita mortalibus emta puellis:
  Moribus humanis cedere turpe Deas.
Ah! tandem ſaevo ſubducite colla triumpho;
  Et decet, &, vobis ſit modo velle, leve eſt.

Pel-

Pellite Parnaſo, laſcivos pellite vates,
  Haec vobis damno eſt turba, nimiſque nocet.
His opibus gaudet Deus iſte, hoc milite pugnat;
  Hoc cepit veſtras, hoc tenuitque, domos.
Has iſti turmas, haec iſti demite belli
  Praeſidia; & tergum turpiter ipſe dabit.
Tunc aliquis melior ſacrarum potor aquarum
  Virginibus caſtis carmina digna canet.
Aut illis igitur metuendum ſtringet Iambum,
  Quîs foedi mores, quîs mala facta placent.
Aut vitam utilibus praeceptis inſtruet omnem,
  Faecibus obducti qualia ſaepe viri.
Qualia, Niſaeis Megaris oriunde Theogni,
  Plebi ſaepe dabas principibuſque viris.
Aut varias artes, ſcclique reperta ſagacis
  Monſtrabit blandis charta magiſtra modis.
Non ſecus agricolis Maro profuit, & prior ille,
  Aonii decuit quem pia vitta chori.
Non aliter cecinit coeli ſcrutator Aratus
  Cum Trivia Solem ſidereaſque vias.
Aut pede Homereo cives ſtimulabit in hoſtem;
  Vel ſi quis patriae frangere jura cupit.
Aut ludet numeris levibus, quae ſeria celent:
  Triſtia in Hyblaeo pharmaca melle juvant.
Hos decet ad ſacram ſolos admittere Cirrham,
  His dare Caſtalio pocula ducta lacu.
Sic odio faciet coeleſtia dona vacare
  Theſpiadum referens orgia myſta pius.

ELEGIA II.

Ad Fratrem

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

QUid ſine fine meos, Frater cariſſime, verſus
Exigis, & lentas arguis uſque moras?
Hei mihi! quid toties cor molle impellere tentas,
Et ſtimulo toties increpuiſſe gravi?
Non ſtat corde ſilex, ferro nec pectora vincta,
Uberave admovit ſaeva leaena mihi.
Numina ſunt etiam, fateor, mitiſſima Muſae,
Mitis Hyantiadum nec minus ipſe Deus.
Et nomen vatis, cincturaque tempora vatum
Neſcio quid blandi Delphica laurus habet.
Certe ego non numeris jam nectere verba negarem,
Vena foret facilis ſi mihi, parque tuae.
Sed non eſt facilis, quoties nam ſcribere tento,
Deficit, & vires ſentit abeſſe ſuas.
Nec tamen, ut cupiam, dimittere carmina poſſim;
Uſque adeo res ſunt carmina grata mihi.
Nunc volo; nunc cupio; nec, quod cupioque voloque,
In mihi dilectos jam licet ire modos.
Non aliter captas, credo, fugientia poma,
Et mediis in aquis, Tantale, quaeris aquas.
Non aliter torques ruiturum, Siſyphe, ſaxum,
Quodque petis numquam culmen adire potes.
Nunc etiam dubito, meliuſne, Helicone relicto,
Et Phoebo dicam Pieriſinque vale.

Nul-

Nulla voluptatis, fuerint nec cauſſa doloris,
  Et cum deliciis demta querela foret.
Aſt ego quo rapior, quo me dolor impius egit?
  Scilicet ut profugus turpiter eſſe velim.
Dii melius! numquamque, precor, veſania tanta
  Exagitet mentem, praecipitetque meam.
Me teneant Clariuſque Deus dulceſque Sorores
  Blanditiis vinctum tempus in omne ſuis.
Sic ego detinear, nuſquam ut diſcedere poſſim,
  Et ſit pars animi libera nulla mei.
Mitis ut eſt, neque enim numen clementius illo,
  Cynthius, haud dura pellet ab aure preces,
Atque exoratus repetitis denique votis,
  Ex facili verſus ſcribere poſſe dabit.
Nunc ſatis eſt numeros mirari ſaepe canoros,
  Sive tuos, Naſo, ſive, Tibulle, tuos.
At tu, plena dedit cui pocula flavus Apollo
  Ducere Caſtaliis, candide Frater, aquis:
At tu, ſaepe velis felicia carmina nobis
  Mittere, nec moniti non memor eſſe tui.

ELEGIA III.

IN OBITUM

DAVIDIS HOOGSTRATANI,

Poëtae Clariſſimi.

QUaliter a patria nato modo carbaſa danti,
  Emenſoque brevem per vada tuta viam,

Vota inter ſolvenda patrem, quem vivere credit,
  Exſtinctum ſubito nuntia fama refert;
Ille dolore furens crudelia Fata, Deoſque
  Crudeles clamat, coeptaque ſacra fugit.
Haud ſecus, Hoogſtratane, fera te morte peremtum
  Fama canens aures perculit atra meas;
Et coelum, ſemperque bonis contraria votis
  Aſtra incuſavi, Perſephoneſque nefas.
At non hoc nobis de te ſperare jubebas,
  Quum modo cogebar regna Britanna ſequi.
Tu mihi pacatum pelagus, ventoſque ferentes
  Poſcebas multa numina magna prece,
Et reditus mandata dabas: ipſe omine laetus
  Optabam vitae ſtamina longa tibi,
Ac rurſum ſpectare tuos, mea gaudia, vultus;
  Neſcius adverſis iſta vovere Deis.
Hei mihi! non igitur pendebo loquentis ab ore
  Amplius, Hyblaeis ore fluente favis;
Nec monſtrabis iter ſacras Heliconis ad umbras,
  Pegaſei puram nec mihi fontis aquam.
Scilicet haud alio plectrum moderante manuſque
  Pieriae coepi tangere fila lyrae:
Auſus & excelſos Pindi conſcendere colles,
  Hortatu vires ſufficiente tuo.
At mihi quid fiet deſerto jam duce tali?
  Quid fiet citharae, te pereunte, meae?
Illa dolore gravi ſemper vel muta ſilebit,
  Funereos reddet vel niſi moeſta ſonos.
Hos etenim luctus ullum non eximet aevum,
  Tuque novis lacrimis cauſſa perennis eris.

Sed

Sed quid ego haec veluti privato in funere damna
  Commemoro? magis eſt publicus iſte dolor.
Iſte dolor poſitos trans coerula vaſta Britannos,
  Iſte dolor terras, Gallia culta, tuas,
Iſte dolor penetrat ſemotas quamlibet oras,
  Qua modo cumque viri Muſica ſacra colunt.
Sed tamen eſt propior Batavis dolor urbibus ille,
  Quas inter primas, Amſteli Nympha, tenes.
Illic ſuevit enim, divino percitus oeſtro,
  Saepe movere ſacrae fila canora lyrae.
Seu, quoties aures libuit mulcere Latinas,
  Carmina Romanis auribus apta canat;
Seu, Latiis Muſas cupiens ſociare Batavas,
  Argutum patrio perſonet ore melos.
Teque, o Ya pater, teque, o pater Amſtela, ad iſtos
  Saepe ferunt curſum ſuſtinuiſſe modos.
Nunc veſtri perhibent audita morte poëtae
  Uberibus lacrimas non retinere genis.
Et merito. Ille urbis dulciſſima gaudia veſtrae,
  Veſtrum ah! ille decus, veſter Apollo fuit.
Hujus enim blanda captas teſtudine Muſas,
  Amſtelium juvit viſere ſaepe nemus.
Invida Parca, dies tam carae rumpere vitae
  Auſa es, tam ſanctum tu violare caput?
Neve annos tantae poſſis praetexere culpae,
  Neſtoris aetatem vivere dignus erat.
Nec tu, Phoebe, tuum Stygiis prohibere, tuumque,
  Pieri, cultorem ſuſtinuiſtis aquis?
At nunc exequias, ſic nam decet, ite frequenter
  Caſtalides Divae, Caſtalidumque Deus.

Nec

Nec calidis ſacrum lacrimis perfundere buſtum
  Parcite, nec laceris exululare comis.
Quales Franciadae facundi in funere quondam
  Non ſiccis memorant indoluiſſe genis:
Broukhuſiique olim quales ad corpus inane,
  Planctibus Amſtelias perſonuiſſe plagas.
Tantorum ſed enim poſt aſpera funera vatum
  Nil potuiſſetis triſte videre magis.
Namque Heliconiadum quis ſic percuſſus amore
  Ducat ad Aonios orgia pura tholos?
Et jam tranquillae recreabant otia vitae,
  Pollio quae vati fecerat ille ſuo;
Otia Pieriis, quam longa, ſacranda choreis;
  Otia in auctorem non male grata ſuum.
Quippe tuas quoties celebravit, Pollio, laudes,
  Virtutumque tulit celſa ſub aſtra decus!
Nam quis, te cives toties moderante volentes,
  Neſciat Amſteliae frena benigna rei?
Plurima reſtabant, quae, quo decet ore, parabat
  Dicere. Nunc tantas ſpes tulit atra dies.
Eſt locus Elyſii ſecreta valle beatus,
  Vatibus Aoniis qua via ſola patet.
Vere ibi perpetuae non deficiente choreae,
  Perpetui luſus, perpetuique joci:
Ac volucrum cantus ſemper, Zephyrique ſuſurrus
  Per folia, & murmur lene perennis aquae.
Illic, ſi qua fides, felix felicibus umbris,
  Blande Senex, jam nunc carmina feſta canis.
Et ſimul agnoſcunt citharae modulamina notae
  Francius ille tuus, Broukhuſiuſque tuus;

Exci-

Excipiuntque piam laeti complexibus umbram
  Alternis, cupidi colloquiumque petunt;
Jam tecumque vetus ſtudium felicis, ut ante,
  Carminis exercent, Pieridaſque colunt.
Sed numerare tuae conor quid gaudia mentis,
  Quae tibi jam demto maxima fine fluunt?
At tu, ſi fas eſt cineres deflere beatos,
  Has moeſtas lacrimas accipe, ſancte Senex:
Accipe, qualiacunque mei monumenta doloris,
  Carmina confuſa deproperata manu.

ELEGIA IV.

AD

JANUM GRAEFLANDIUM.

GAudia ſunt in amore, & ſunt in amore dolores.
  Vanus, qui ſperet gaudia ſola ſibi.
Hanc etenim legem miſeris dixere Venuſque,
  Telaque qui toto ſpargit in orbe Puer.
Qui neget, hunc nullos ſenſiſſe Cupidinis arcus
  Convincam, & nullas corde tepente faces.
Nec, modo quid facilis, rigidae modo, novit, amicae
  Janua amatori clauſa patensve ferat.
Vel mihi tu teſtis, duros edocte per uſus
  Jane, ferus cui nunc pectora verſat Amor.

Cor-

Corporis heu! macies, heu! ora ſimillima buxo,
Certa nimis miſeri ſigna furoris habent.
Ah! quoties imo gemitus e corde notavi,
Et dictum tenui murmure, Vita, tibi!
Ah! quoties, lacrimas nos te celare parante,
Hae tamen invitis emicuere genis.
Mox, precibus ſe poſſe tuis molleſcere, facta
A domina fuerat ſpes modo ſi qua tibi;
Ut vultu, ut toto gaudebas pectore, nec vox
Laetitiam poterat diſſimulare ſuam.
At magnos prae te poteras contemnere reges:
Vile tibi ſceptrum, purpura vilis erat:
Nec Jove tum coelum cupiebas dante: ſine illa,
Judice te, pauper ſcilicet aula Jovis.
Et jam magnificos agitabas mente triumphos,
Poſcebaſque tuis myrtea ſerta comis:
Baſia jam roſeis fingebas ſumere labris,
Jam quod dulce ferat, baſia praeter, Amor.
At quid ſi, facilem quam jam ſemperque patentem
Credideras, rurſus janua clauſa riget?
Heu! tibi nunc iſti quam longe, Jane, triumphi!
Quam longe capiti ſerta petita tuo!
Baſia nunc roſeis quam longe ſumere labris,
Et quod Amor, praeter baſia, dulce ferat!
Non aliter portus prendentem paene carinam
Adverſus Boreas rurſus in alta rapit;
Rurſus in alta rapit: nec proſunt vota preceſque,
Nec ſua jam reduci dona parata Jovi.
Sed tamen haec, iterum ventis agitata fretoque,
Poſt viſa eſt portus ſoſpes inire ſuos.

Tu

Tu quoque ſic olim, modo non praeſagia fallax
  Iſta tibi Phoebus noſtra per ora canat;
Tu quoque ſic olim, portus ingreſſus Amoris,
  Perſolves Veneri debita dona tuae.

ELEGIA V.

In Nuptiis

Fratris Carissimi

JACOBI PHILIPPI D'ORVILLE,

Et lectiſſimae Virginis

ELISABETHAE MARIAE van RYN.

CUr, o Melpomene, deſueta reſumere plectra,
  Intempeſtivo tarda pudore, negas?
Si neſcis, major, ſocias dum ducit ad aras
  Fratrem ſanctus Hymen, conticuiſſe pudor.
Non equidem Sponſae caſtum pietatis amorem,
  Mite nec ingenium, virgineumve decus:
Vel jubeam meritis doctrinam extollere Sponſi
  Laudibus, & Clario pectora plena Deo.
Iſta, quibus meliore fluunt felicia vena
  Carmina, quos Phoebus reſpicit, iſta manent.
His Venus, & Veneris, Puer ille, potentia ſola,
  Preſſaque dicantur colla ſuperba jugo:

Et

Et Paphia myrto & lauru Parnaſide ſertam
  Nectant cognatis, praemia digna, comis.
Sive canant iterum delubra dicata Minervae,
  Dum poſtem ille tenet, verbaque rite praeit;
Seu modo Athenaei comitentur ſacra renati
  Carmine, bis luſtris vix reditura decem:
Felicemque urbem, felicia ſecula clament,
  Hoc ductore vetus quîs renovatur honos:
Trippiadenque altae, cui praeſidet, urbis amorem,
  Nam placitum Muſis ille peregit opus,
Trippiaden magnum celebrent, qui ſiſtere Phoebi
  Evaluit trepidam, Pieridumque, fugam.
Haec pater Ya libens miretur & Amſtela, ametque
  Haec Dryas in ſilvis diſcere, Nais aquis.
At mihi cantantes Hymen Hymenaee ſecuto
  Promere ſincero pectore vota ſatis.
Vos O! vos Sponſi, firmo Venus aurea vinclo
  Copulet, & nodos attrahat aequus Amor.
Exulet a caſto Diſcordia tetra cubili:
  Dia renidentes Pax colat una lares.
Sera dies ambos albentes tempora canis
  Reſtituat patrio, non tamen ante, polo,
Quam fuerit natos, natorum & cernere prolem,
  Quae decorent claram, perpetuentque domum.
Hoc gemini cupiunt venerandi aetate Parentes,
  Quorum dent Superi pondus ineſſe preci.
Hoc Sponſae Patruus, procerum, quos Amſtela jactat,
  Pars, cupit; hoc Patrui, nomina cara, Soror:
Hoc ego. Sit precibus modo non leve pondus in iſtis.
  Et, ſi juſta peto, non leve pondus erit.

Tu

Tu tantum Deus omnipotens, dator une bonorum,
Connubio adſpires, ac rata vota velis.

ELEGIA VI.

IN HYPOCRITAS.

Quid Cenſor tibi vis alienae acerrime culpae,
In rugas frontem dum trahis uſque tuam;
Innocuos procul eſſe jubens riſuſque ſaleſque,
Et ſi quid vitae triſtia fata levat?
Dum pecudum ritu platearum ſtrata tueris
Semper, & in coelum lumina ferre times.
Dum tenui addiſcis modulamine mittere vocem,
Et veſtem nullos cogis habere ſinus;
Crebraque dum ducis ſuſpiria pectore juſſo,
Nec cuiquam laeſus dum ſine fine gemis.
Dum quoties audis reprehendi crimina ſecli,
Ex oculis toties gutta coacta cadit.
Tune homines quoniam potes iſto fallere mimo,
Hocne etiam ſperas fallere poſſe Deum!
Non, non. Ille videt ſcelerum teterrima monſtra,
Cordis in impuri quae latuere ſinu:
Non, non. Ultores indignans adparat ignes,
Qui tua perpetuum viſcera, Cenſor, edant,
Et veris lacrimis, quae nunc abſcondita celas,
Tot tua te ſubigant crimina flere palam.

ELEGIA VII.

HERMANNO VAN RYNEVELT,

Quum J. U. D. pronunciaretur.

SIc eſt. id vigiles dudum meruere labores,
Id genii dudum vis generoſa tui,
Atque animus ſemper ſtudiis excultus honeſtis,
Et Latii fixus pectore juris amor.
Quare age, jam meritos molire, Hermanne, triumphos:
Quare age, victrici cingere fronde caput.
Scilicet aequa Themis, neque enim Dea juſtior ulla,
Mercedem curis juſſit adeſſe tuis.
Teque ſui gaudet cuſtodibus addere templi,
Jure peritorum dum chorus omnis ovat:
Phoebus & excelſo titulos gratatur Olympo.
Fallor? an & fulget clarior inde dies!
Et decus hoc omnes, ſic fas, gratantur amici,
Laetitiae certant & dare ſigna ſuae;
Teque novum myſtam, te victoremque ſalutant,
Et geminant plauſus, & bona verba ſonant,
Et fortunatos, praeſentia namque futuri
Omen habent, clamant, quos tueare reos.
Ipſe quoque, ut decuit, ſucceſſu laetus Amici,
Pauca fero quali carmina cumque lyra.
At tu, ſic Divos habeas ſine fine faventes,
Accipe non dura munera noſtra manu:
Munera, ſincero tibi quae de pectore mitto,
Munera amicitiae pignora parva meae.

ELEGIA VIII.

PRIMUS AMICAE OCCURSUS.

Qualis Naſicaa fortem comitavit Ulixen,
  Alcinoi luſtrans culta roſeta patris:
Qualis Vertumno placuit Pomona marito,
  Dum peragrat ruris florida regna ſui:
Qualis & Anchiſae, paſcenti vallibus Idae,
  Aeneadum genetrix obvia facta Venus:
Talis forte ſuis mea lux errabat in hortis,
  Eripuit mentem quum mihi prima meam.
Ignitas oculis vibrabat virgo ſagittas.
  Ardebat niveis purpura rubra genis.
Candida mittebant flammas praecordia; quales
  Saepe repercuſſo marmora ſole vomunt.
Caeſaries, roſeis late cervicibus errans,
  Spargebat rutilans, aurea tota, jubar.
Uſſiſſent tactu ſolo digitique manuſque.
  Spirabant aeſtus punica labra novos.
Ut vidi, ut rapui miſeris incendia membris!
  Viſceraque ignotus venit in ima vapor!
Sanguis ut in venis efferbuit inſtar aëni!
  Salſaque de tota fronte refluxit aqua!
Ignibus incalui, quantis calet Aetna Sicana,
  Quum cava Mulciberis follibus antra ſonant.
Atque ego mirabar pariter, pariterque gemebam,
  Tam rapidis facibus pectora noſtra coqui.

Quum ſe majorum obtulerunt miracula rerum,
  Vera licet, veri non habitura fidem.
Ver erat incipiens; adſtrictum frigore coelum:
  Finierat regnum non bene triſtis hiems.
Dum ſpatior; faciem coelum mutavit & annus,
  Atque aeſtas primo vere repente ſubit.
Ac Boreas tepidis Zephyros ſpiravit ab alis,
  Mulſit & aërias mollior aura plagas.
Terraque purpureos flores reſoluta profudit,
  Et caput e tepido ſuſtulit herba ſolo.
Atque repentinos nemus induit omne virores;
  Ac teneris arbor foetibus aucta fuit.
Non ſecus, ut melior quondam natura reſolvit
  Horrifica ſquallens mole ſituque chaos,
Exiliens ſubito praegnantibus arbor ab agris
  Frondibus & pomis riſit onuſta novis.
O! quam te dicam, timida ſum voce locutus,
  Nais an e magnis una Deabus ades!
Eſſe potes tepidi pulcerrima ſponſa Favonii:
  Vicinis colitur maxima Flora locis.
Anne putem Nympham, cui plenis ſtructa caniſtris
  Foecundos onerant roſcida poma ſinus:
Curva mitella comas, humeros ſtola longa ſedentis
  Integit: auritus ſtat canis ante pedes:
Quam frugum celebrat tempeſtatumque potentem
  Plurima pagana ſculpta tabella manu?
Fallimur; haud ea vis Nympharum, non ea forma:
  Ipſa ſed e Cypriis fluctibus orta Dea es!
Te, Dea, te fugiunt glacialis frigora brumae,
  Ac pluviis mixtae grandinibuſque nives:

Ad-

Adventuque tuo ponunt fera murmura venti,
  Et mare placatis litora lambit aquis:
Te veniente novos ſentit natura calores,
  Ac tepefacta ſinum parturit omnis humus:
Qua graderis, flores ſubmittit daedala tellus,
  Et fontes ſtrepitant, & Philomela canit:
Depulſis ridet nebulis tibi magnus Olympus;
  Pulcrior in niveis ſol nitet ipſe rotis!
Quod ſi mortali prognatam credere fas eſt
  Semine, & hoc utero femina geſſit onus;
O! fortunati, qui te peperere parentes!
  O! frater felix, & tibi ſiqua ſoror!
Is vero Superis aequandus ſorte beata,
  Siquis vel nunc eſt, vel tibi ſponſus erit!
Me miſerum! ad nomen geminatur amabile ſponſi
  Ardor, & heu! penitus pectora flamma vorat.
In cineres abeo; niſi tu, Dea, fata retardes:
  Nam mihi ſemper eris tu Dea, & ipſa Venus.
Cur autem peream? quid te mors noſtra juvabit?
  Solane ſis damno ſaeva reperta meo?
Quo rus omne beas, me, quaeſo, reſpice vultu:
  Huc oculos vertas, ſidera bina, tuos.
Oſcula, da, roſeis figam labiiſque geniſque,
  Et dextra dextram pectoraque iſta premam.
Frigidane, exquiram, tantos incenderis aeſtus,
  An poſſis ſimili tacta calere foco.
Ah! potius noſtras populat quae taeda medullas,
  In tua deſcendat corda vapore ſuo:
Ignis & extrema ſpiret, precor, iſte favilla,
  In quam nos rediget non fugienda dies.

ELEGIA IX.

D. M.

PETRI VLAMINGII,

Poëtae eximii.

NUnc dolor infelix, Vlamingius; ante voluptas
Plurima, Pegaſea qua fluit amnis aqua,
Occidit. inferias vati Libethrides ite.
Luctiſona reſonet laurea ſilva tuba.
Veſter erat, divae Pimpleides; orgia fidus
Per Batavos ſemper blanda tuliſſe choros.
Singula neu referam, villa eſt Hoogwoerdia teſtis,
Quam tulit Aonia gratus in aſtra lyra.
Felices agros! felicia praedia! ſi non
Immeritam vatis mors ſceleraſſet humum.
At domino fertur, ſi fas eſt credere, rapto
Triſte ſolum moeſtis ingemuiſſe modis.
Et pariter viſa eſt omnis fugiſſe voluptas.
Gratia nimirum doſque erat ipſe loci.
Tu vero, curvos properat ceu piſcis ad hamos,
Neſcius inſtantis, quam tegit eſca, necis,
Huc te contuleras, Vlamingi, moenia vitans,
Pieriſinque petens otia grata tuis.
Forſitan ipſe citos hortatus es ire caballos,
Mente levi fingens gaudia firma parum.
Jamque ſalutanti genium villaeque, locique,
Comminus, exciderunt haec quoque dicta tibi.

Ter

Ter quater o ſalve regio, qua Chloris odora
  Poſſidet Harlemii jugera multa ſoli.
Haec prius admirer, num commoda meſſibus arva,
  Herboſosne toros, quos ſua lympha ſecat!
An magis adclives cumulos flaventis arenae,
  Quîs maris irridet patria freta minas!
Sit viſum hoc quodcumque mihi nunc alite fauſta.
  Fallor? an augurium garrula Nympha probat:
Nympha e ruderibus referens mea verba propinquis,
  Qua ſteterunt Cleviae tecta ſuperba domus.
Arx olim, nunc reliquiae vaſtantis Iberi,
  Sanguineique Albae crimina foeda ducis.
Hoc potius, quam ſi cives diſcordia turbans
  Credatur cladis cauſſa fuiſſe ferae.
At vos praecipue fundi ſalvete paterni
  Culta vireta, meae mentis amica quies.
O mihi nunc ſolitum praebete levamen, ut urbis
  Effugiam veſtro taedia multa ſinu.
Venturaeque ſenectuti, ſit in omine pondus,
  Eſte, precor, longum grata latebra meae.
Talia poſcenti, jam dudum Parca ſupremum
  Stamine fatali nebat iniqua diem.
Sic aliquis, ſubiens redimitis litora velis,
  Ad ſcopulos fracta nave, repente perit.
Protinus, hoc celeri portans trans aethera penna,
  Spargitur Amſtelia rumor in urbe, malum.
Ecce, canit, gelidis Vlamingius occubat umbris,
  Jamque venit nigra contumulandus humo.
Me miſerum! talis nobis rediturus abiſti?
  Heu! ita te reddis, dulcis Amice, tuis?

O fallax hominum ſors & mens coeca futuri!
O fata Aoniis non fugienda viris!
Vix Hoogſtratano fuſas ſiccavit Apollo,
Quum poſcis lacrimas en! quoque, Petre, Dei.
Quid refert? ſi non vates ſacer interit omnis,
Poſtque obitum magno foenore fama venit!
Haud ſecus extento vivit Vlamingius aevo,
Quotque colunt Muſas, reſtat in ore virûm.
Carmina nam quis non miratur, qualia Livor
Ipſe nequit Syria digna negare cedro!
Quiſve novo neſcit perfuſum lumine vatem
Aetherei partus, Virgo beata, tui!
Hujus ut Arcadicos, penſum juvenile, lepores
In Batava melius veſte nitere dedit!
Ut quoque te docuit, caſtae Pharos optima vitae,
Ore, Cebes, Grajo Belgica verba loqui!
Hinc quid Spigelii referam ſenis aurea ſcripta,
Et facie & cultu facta decora magis?
Quidve Hoogſtratani, quid vatis, ab hoſpite nomen
Qui tenet, e tenebris carmina ducta canam.
Non tamen invictus gyro ſtetit impetus iſto:
Moliri majus quin fuit auſus opus.
Hoc jam impenſa refert, & plures cura per annos
Impendenda tuis moenibus, Ya pater:
Undique dum veteris conquirit temporis acta;
Quae valeant urbi conciliare decus.
Auguror, ipſe bonum firmabit Jupiter omen,
Irritus ex toto non erit iſte labor.
Ac famae ſtimulis aliquis compulſus honorae
Cernere quam cupis hanc, Amſteli Nympha, diem!

Naufragii ſacras tabulas ſervabit ab undis;
  Et rude adhuc patriae pervigilabit opus.
Iſta ſed, Huidecopere, manet pulcerrima laus te,
  Dilectum Chariſin Pieriſinque caput.
Ante tamen, peragas ſic Pallade coepta volente,
  Nec premat haec collum ſarcina magna tuum,
Nobiſcum lacrimis buſtum perfunde poëtae,
  Nec caro cineri debita juſta nega.

ELEGIA X.

Viro Clariſſimo

PETRO BURMANNO,

FRANC. FIL. FRANC. NEP.

Literarum Humaniorum Profeſſionem in Academia Franequerenſi auſpicanti. S.

QUa, Burmanne, precor, longum potiare, ſalutem
  Amſtelia mittit Petrus ab urbe tuus.
Quid tamen? an ſimulac demſiſti vincula chartae
  Grata fuit digitis litera ſcripta meis?
Tardior & quanquam, ſacrae nunc denique luci
  Debita portantis verba, probata via eſt?
An, quamvis gratata novos veniſſet honores,
  Dixiſti increpitans, cur ita ſera venit?

Scilicet officii ſi quis non prima capeſſat
 Tempora, dilati gratia multa perit.
Quam nunc aequoribus diſtarent moenia longis
 Amſtelio cuperem Franequerana ſolo,
In pelago ſaltem dubio, ventove vetante
 Culpa retardatae poſſet ut eſſe viae.
Parce tamen ſocii pectus, Burmanne, fidele
 Criminis ob longas inſimulare moras.
Non etenim ſemper, tua quae pulcerrima ſors eſt,
 Reſpondet precibus Muſa vocata meis.
Sive ita naſcenti triplices cecinere Sorores,
 Difficili nentes ſtamina noſtra colo:
Seu vitae ratio eſt, quae Majae plurima nato,
 Virgineo cedit tempora parca choro.
Quam Mercaturae male cum Tritonide docta
 Convenit, aut Phoebo Numinibuſque novem!
Nam quoties poſitis rationum, Petre, libellis
 Pegaſidum volui ſacra litare focis!
Saepe novos titulos age jam gratemur amico,
 Ipſe mihi dixi, conſpicuumque decus,
Ac cithara ſumta tentavi condere carmen,
 Burmannum poſſet quale decere meum.
Quin etiam, memini, latum celebrata per orbem
 Mens fuerat gentis dicere facta tuae.
Et Franciſcus avus jam, Franciſcique Parentis
 Magna ſonaturo nomen in ore fuit.
Nunc ad ſe totum rapiebat Patruus ingens,
 Cui merito adſurgit doctus ubique chorus.
Quem Pallas Leidana decus, columenque fatetur,
 Exoptatque diu poſſit ut eſſe ſuum.

Tu-

Tuque, Patris tanti ſoboles generoſa, ſubibas
  Trajectinorum ſplendor, amorque, Patrum.
Nec minus & Fratrum par nobile, Petre, tuorum
  Ardor erat merita ferre ſub aſtra lyra:
Quorum Paeoniis perfectus in artibus alter,
  Chriſticolûm curam ſedulus alter agit.
O utinam! noſtro ſiviſſent vivere voto
  Fata, procul curis, Mercurioque procul,
Et choreis Heliconiadum, Phoebique dediſſent,
  Deliciis noſtris, implicuiſſe manum.
Hinc mihi vidiſſes Heroum ſurgere carmen,
  Materiae numero conveniente ſuae.
Hos inter quoque te poſuiſſem nobile ſidus;
  Ingeniique forent cognita dona tui.
Per me ſciretur, vidit de matre cadentem
  Protinus ut placido lumine trina Charis.
Phoebus ut Aoniſin de te mandata ferebat,
  Ora caballino tinguere fonte jubens.
Utque ſacra lavit, lotumque fideliter, unda,
  Excepit roſeo Calliopea ſinu:
Et laurus hederaſque inter requieſcere fecit,
  Feſta ubi Pieridum cantibus antra ſonant.
Nil igitur mirum, ſi mox adoleverit ille
  Carminis, a teneris tam bene coeptus, amor:
Si tibi, Muſa quibus toties ea paverat ante,
  Dulcia nectareis roribus ora fluant.
Ut ſors, addiderim, primo minus aequa licebit
  Ante diem rapiens cum genetrice Patrem,
Nutriri dedit in Patrui penetralibus altis,
  Praeterita emendans munere damna novo.

Eſt adeo multum, doctis adſueſcere curis,
Et meritae puerum laudis amore capi.
Talibus auſpiciis igitur penetrare receſſus
Hiſtoriae tibi fas, eloquiique, fuit.
Contigit & cani ritus cognoſcere ſecli,
Et Critices fauſto templa ſubire pede.
Ter quater o felix, licuit cui cernere tanti
Coram, quae referas, inclyta facta Viri.
Hinc tamen ingenio ſediſſe haud ultima credo
Tot de Barbarie parta tropaea fera:
Et tibi mature ſubiit quoque culmina Pindi;
Et valida Muſas adſeruiſſe manu.
Grande rudimentum doctrinae mittere in hoſtes
Tela, ſacri belli primaque ſigna dare.
Quid jam quid fruſtra fugis Ignorantia, quidve
Speluncis properas abdere turpe caput!
Quin Burmannorum nomen fatale tremiſcens
Impia jam pedibus colla premenda para.
Ut, veluti nomen quondam tituloſque perennes
Africa Scipiadae ſub juga miſſa dedit:
Sic quoque tu genti Burmannae, peſſima, nomen
Debellata feras perpetuumque decus.
Ominor, eveniet. plauſis Victoria pennis
Ipſa dat augurii proſpera ſigna rati.
Ecce abitum cari WeſlingI Friſia Pallas
Flens ſedet immiſſis uda per ora comis,
Maeſtaque confuſis tundens praecordia palmis
Ecquis erit, clamat, qui mala noſtra levet!
Lucida, me miſeram! quo ſe cito condidit axe
Splendebat noſtro quae modo ſtella polo.

Atta-

Attamen haud fueram ſecura, mihique timebam,
  Hei! mihi cauſſa nimis juſta timoris erat!
Cum Trajectenſi virtus Dukera Lyceo
  Ulterius ſolitam ferre negavit opem,
Et, procul a turba, ſenio ſuadente, quietos
  Conſtituit ſolo ducere rure dies.
Si quid noſtra tamen valuiſſent vota, careret
  Dukero jam non in mea damna ſuo.
Ipſe quoque exutus ſenio, nervisque refectis,
  Ferre foret magnum quamlibet aptus onus.
Sed quid ego ad ſurdas nequidquam conqueror auras,
  Et facio rapidis verba ferenda Notis!
Invida Trajectum, noſtra quae clade ſuperbis,
  Dic, tantum rapias quo mihi jure decus?
An, quod clarus erat meritis Weſlingius heros,
  Cauſſa ſat apta tibi, cur ſpoliarer ego?
At ſi jam non te, Superos mea damna movebunt.
  Dî facite o! maneam ne ſpoliata diu.
Sed bene habet. tetigere preces pia numina juſtae.
  Gratulor hoc, Pallas Franequerana, tibi.
Burmannus lacrimas meus en jam terget ab ore,
  Vulneraque optata facta levabit ope.
Illius haud uſquam deerit tibi vivida virtus;
  Dum geſtit juvenis munus obire viri.
Non ſecus in ſolem primis ſe nixibus ales
  Tollit, ſi qua geret tela triſulca Jovis,
Immotiſque oculis radiantem ſuſtinet orbem,
  Adſumens animos a propiore Deo.
Haec ego conabar, recolo, dulciſſime rerum,
  Pluraque Maeonia dicere, Petre, tuba.

Sed

Sed mihi Mercurius quoties male ſedulus aures
  Vellit, propoſitum praepediitque meum!
Et vix hos elegos humiles permiſit iniquus
  Saepe interrupta deproperare manu.
Nunc etiam ceris, ad te qui perferet iſtas,
  Nauta jubet finem ponere. Petre, vale.

ELEGIA XI.

AD FRATREM

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

DE NIHILO.

NUlla rogas ſcribam cur carmina, candide Frater;
  Et me jam, fateor, ſcribere nulla pudet.
Quid vero faciam! quum cogar, ſcribere quamquam
  Carmina nulla pudet, ſcribere nulla tamen?
Non Hymenaeus enim, ſocias celebrandus ad aras,
  Poſcit ab invita carmina feſta lyra:
Nec licet Heroum ſublimia tollere coelo
  Facta; decent magnas grandia vela rates.
Nec libet immixto plebejis ſcribere nugis
  Carmina, cum proceres curia celſa novat:
Ominaque in melius verſuri dicere ſecli:
  Omina Coeleſtes non habitura ſuos.

Pu-

Publica namque jacent, privataque ſola coluntur,
  Ac rari curam poſteritatis agunt.
Ergo decantem, quibus haud accendimur, ignes,
  Inque leves elegos fictus amator eam?
Non animus fert hoc. Scribam ne nil tamen, ecce
  De nihilo carmen, ſi modo carmen, habe.

ELEGIA XII.

Viro Clariſſimo

H. G. VAN VRYHOFF,

Profeſſionem Juris utriuſque in Academia Harderovicenſi auſpicanti.

QUale peregrinis faciens commercia terris
  Geſtit, & haud tacita gaudia mente premit,
Si qua per ancipites caſus hoſtiſve, viaeve,
  Ac poſt ſollicitae taedia longa morae,
Occiduis tandem redeat vaga claſſis ab undis,
  Aut illis, rutilos ſol ubi jungit equos.
Sic tua non levior pertentans corda voluptas
  Conſcia laetitiae promere ſigna facit;
Dum Themis auſpiciis ineunti rite ſecundis
  Templa tibi felix ad ſua ſternit iter:
Templa, Deae multis quae conſecravit ab annis
  Harderovicana Gelria fortis humo:

Tem-

Templa, virûm fama totum celebrata per orbem,
Laude quoque ingenii mox celebranda tui.
Mentis enim vigor hoc ſpondet, ſpectataque virtus
Ante ſub auſpiciis Fratris, Huberte, mei,
Dum ſecli pariter veſtigas rudera priſci,
Nil dubitans patrios deſeruiſſe lares:
Atque alio populos, alio ſub ſidere terras,
Fluminaque, & montes pectore firmus obis.
Gallica qua late regio, qua Romula tellus,
Horrificiſque tonans qua patet Aetna jugis,
Ac porrecta per immenſos Germania fines
Albim cum Rheno Danubiumque bibit.
Nec ſe ſe fervor quidquam tuus ille remiſit.
Tempore quin pulcer crevit honoris amor.
Hinc etiam perges jam clara in luce locatus
Ingenii dotes exſeruiſſe magis:
Aſtraeamque tuam, primas haec vindicat, ibis
Semper, & Aonidas demeruiſſe Deas.
Illae quippe ſuo te nutrivere ſub antro,
Et liquido dederunt fundere ab ore melos.
Atque iter a vulgo tibi monſtravere remotum,
Culmina quod bifidi montis ad alta ferat.
Quod vates tenuere olim, per Apollinis artem
Immortale ſibi qui peperere decus.
Hoc tu nunc inſtas, hederae decerpere frondem
Contendens, Pindi qua viret altus apex.
Plura quid addiderim? vix, vix haec ipſa referri
Nempe, verecundae frontis Amice, ſinis.
Non laudatricis citharae modulamina tanti,
Ut tibi ſuffundat Muſa rubore genas.

At

At ſi materiem texendis verſibus optet
  Pieris: en alio tramite flectat equum.
Cur non, Vryhovi, memori de carmine ſerus
  Diſcat amicitia corda ligata nepos?
Nam tam certus amor ſub pectore ſpirat utroque,
  Ut trans Lethaeas vivere poſſit aquas.
Cur taceat lacrimas, taceat ſuſpiria crebra,
  Nec leviter Paphia viſcera aduſta face,
Ut tua formoſas inter non ultima virgo
  Abſtulit argutis lumina luminibus?
Nam celare licet primos tentaveris aeſtus,
  Non longum potuit corde favilla tegi.
O nimium felix! pulcro quod adureris igne,
  Non ſemel incaluit quo pater ipſe Moſa,
Sidereoſque oculos miratus eburnaque colla,
  Lenius ire ſuas Rottera juſſit aquas.
At felix iterum! dominae quod limina durae
  Obſediſſe tibi non Cytherea dedit:
Sed grave quae poſſit miſerari vulnus amantis,
  Nec gemitus, lacrimas nec numerare neget.
Cur Erycina tamen, ridens modo fronte ſerena,
  Inviſis toties nubibus ora tegat,
Nec ſinat optatos, miraris, prendere portus,
  In mare nunc aeſtu, nunc referente Noto.
Si neſcis, adeo cuiquam vix aequa Dione,
  Ut det inoffenſo vota tenere pede:
Gaudia ſumma prius ſed quam ferat, uvida fletu
  Cernere laetatur, pallidaque ora, Venus;
In primis facunda cupit lamenta, preceſque
  Vatis amatoris combibere aure diu.

Amſteliae teſtes ripae, quas tempore longo
  Credibile eſt queſtus edidiciſſe tuos.
Sed jam ſiſte, licet, gemitus, & lumina ſicca,
  Oblitus, duri quidquid habebat Amor.
Nam prope tempus adeſt, quum tu pro mille querelis,
  Pro totidem lacrimis oſcula plura feres.
Cernin'? Hymen roſeis ut vinctus tempora ſertis
  Ornatam quatiat lampadas ante forem?
Ut croceum ſpargens florem, myrtumque, Cupido
  Ducat odoratos matris ad ipſe focos?
Juno favens, thalamis laetum ſocialibus omen,
  Nectat ut albenti vincula flava manu?
Fallimur? an feſtae Charitum ſonuere choreae,
  Terpſichore dulces quîs praeit ipſa choros?
Heſperus & mergi feſtinat pronus in aequor,
  Surgat ut Eoo Lucifer axe tuus?
Quin igitur propera, quo te luſuſque, jocique,
  Ambroſiaque madens ſponda marita vocant.
Chriſtinaeque tuae placitas infuſus in ulnas
  Utere deliciis, Sponſe beate, tori.
Sic, decies Phoebe poſtquam reparaverit orbem,
  Per liquidum niveis aethera vecta rotis,
Dii faciant, quîs ſunt ſacra connubialia curae,
  Ut felix ſimili prole ferare pater.
Haec ego vaticinor. Quod ſi non fallat Apollo,
  Poſtmodo tu dices; Hic bonus augur erat.

E L E-

ELEGIA XIII.

IN OBITU

Viri Ampliſſimi

DIDERICI VAN DER MEER,

Ad Filium praeſtantiſſimum

JEREMIAM VAN DER MEER,

J. U. D.

MEriade, ſpirans clari Genitoris imago;
  O ſpes, o ſoboles nobilis una domus.
Vota tibi nuper, memini, & bona verba parabam,
  Sponte ſua Patrem dum novus ambit honor.
Quem Procerum voluit meritum mens provida lectis,
  Quîs Oriens curae eſt, adnumerare viris.
Adfini Libitina domum ſed funere turbans
  Gratantem vetuit me comitare chorum.
At, quamvis abſens, animo pia vota peregi:
  Vota Deos heu! heu! non habitura ſuos.
Nec nimium vovi, faſces & frena volentis
  Urbis ubi vovi, Neſtoreoſque dies.
Omina praebuerant, ſic rebar, certa futuri
  Et vires ſolidae, laetus & ore vigor,
Atque animus late fulgens virtutibus altis,
  Ac crebris meritis publicus auctus amor.

Quo tamen iſta tibi, Vir ſplendide? num minus Orco,
  Quamquam talis eras, victima facta jaces?
Nempe jaces: & nequicquam Themis irrita vovit
  Te fore mox decori praeſidioque ſibi:
Cognitaque expertae ſperavit robora dextrae,
  In ſolio ſtaret qua bene fulta ſuo:
Et qua vulturios, genus inſatiabile, aduncos
  Dejiceret, raucos comprimeretque canes:
Immaniſque Hydrae tandem foecunda domaret
  Colla, niſi Herculea vix ſuperanda manu.
At nunc illa, comas inter ſuſpiria ſcindens,
  Haud animo celat vulnera facta ſuo:
Nominibuſque vocans Divarum quamque piarum,
  Has mecum exſequias ite frequenter, ait.
Haec nos haec pariter clades pertingit ad omnes,
  Quae ſacra progenies dicimur eſſe Jovis.
Donec enim vegetos animabat ſpiritus artus,
  In gelidum cinerem fax neque verſa Viri,
Templa tenebamus pulcerrima pectore ſancto,
  Et focus haud alibi cultior alter erat.
Quem nobis quoniam rapuerunt invida fata,
  Heu! heu! quid miſeris eſt niſi flere ſuper?
Quid! niſi teſtatum terriſque poloque dolorem
  Feciſſe, & carum compoſuiſſe caput?
Vix haec fata; venit nullis obnoxia fucis
  Religio, ſparſa moeſta per ora coma,
Aſtraeaeque latus, ducentis funera, claudit,
  Plangit & indigna pectora nuda manu.
Suetaque ſublimi ſemper petere aſtra volatu
  E rutilo Virtus aethere lapſa venit.

Et

Et ſimul incedit, ſed non in veſte nitenti,
  Sed pullata trahens ſyrmata, cana Fides.
Nec Probitas, qualis Saturni nota ſub aevo,
  Nec Pietas aberant, utraque ſciſſa genas.
Funereamque auget Libertas patria pompam,
  Propugnatoris funere moeſta ſui.
Hinc uſu longo Prudentia plurima rerum
  Humentes ſequitur dilacerata ſinus.
Altaque Majeſtas, ſcelerum tremuere miniſtri
  Qua toties, vultus it cooperta ſacros.
Stipat & hanc aequans homines Clementia Divis,
  Flebilibuſque replet ſidera ſumma modis.
Denique defuerat Divarum nulla, patebant
  Atria perpetuum quîs modo caſta Viri.
Quae quia crudelem nequierunt flectere Parcam,
  Actave praecipiti ſiſtere fila colo,
Debita, quod poſſunt, lugentes juſta merenti
  Haec cineri ſolvunt, inferiaſque ferunt.
Amſtela, qui celſas urbis cognominis arces
  Irriguo liquidae flumine lambis aquae,
Deſine majores ad moenia, deſine, fluctus
  Volvere, coeruleum tollere & amne caput.
Me miſerum! ſubito quam ſunt tua gaudia verſa!
  Invida ſpes quantas abſtulit hora tibi!
Ille tui Didericus amor populi, ille Senatus
  Grande decus ſacri conſiliumque, fuit!
Cui modo clamabas, Laetos molire triumphos,
  Quaeſitum meritis, I, cape, care, decus.
Non aliis humeris melius, bene cognita virtus
  Fallere ſi nequeat, ſederit iſtud onus.

 Ac

Ac videam tutas Orientis litora claſſes,
Quaeſo, diu auſpiciis ire redire tuis.
Inque ſinus noſtros, Danaes velut aureus imber,
Depluat innumeras India dives opes.
Talia vociferans, omnes ad gaudia cives
Excieras, plauſum quos geminare juvat.
At brevis haec fuit, & turbata repente voluptas,
Venit ut erepti nuntia fama Viri.
Tunc te, tunc memorant ſubito pendentibus undis
Adtonitum multo diriguiſſe gelu.
Quin & perpetua referunt voluiſſe pruina,
Hoc niſi fata vetent, occuluiſſe caput.
Scilicet ille dolor viſus tibi, Dive, perennis.
Et, dubium non eſt, ille perennis erit.
Nos decet ad tumulum luctus renovare quot annis,
Ac querulo moeſtos ore ciere ſonos.
Parte ſed ille ſui meliore receptus in aſtra,
Tempora ubi vitae fine carentis agit:
Divinumque jubar, nullis narrabile linguis,
Qua fas eſt, oculo jam propiore videt:
Coeleſteſque choros inter, citharaſque, lyraſque,
Concinit aeterno carmina grata Patri:
Nec reſono planctu, lacrimiſve movetur ab ullis,
Frigida quas triſtes fundimus oſſa ſuper.
Si tamen e nobis coelo ſentire beatos
Credibile eſt aliquid, nec bene facta latent;
Tum puto laetari, cum conſpexere nepotes
A virtute nihil degenerare ſua.
Ergo, Meriade, caſſos, age, comprime fletus,
Ac potiora patri ſolvere juſta para.

Id

Id facies, ſi rite premas veſtigia clara,
  Virtutumque heres illius eſſe velis.
Sic melius, quam ſi tumulus de marmore per te
  Exſurgat, cineres aureaque urna tegat.
Sic melius manes venerabere, crede, paternos,
  Matris & adflictae dulce levamen eris:
Quae, ſocio viduata tori, ceu turtur, ademtum
  Nunc urguet lacrimis, & vocat uſque, Virum.
Sic etiam tibi conſpicuos augere penates
  Per titulos olim numina juſta dabunt.

ELEGIA XIV.

IN PACEM

Batavorum Diuturnam.

DUm tonat horrendo late Bellona flagello,
  Sanguineiſque furit Mars violentus equis;
Finitimique ruunt in triſtia proelia reges:
  Arma ſuis thecis clauſa Batavus habet.
Eunomieſque ſoror placidiſſima, rura celebrat
  Pinguia Belgiadum Pax, celebretque diu.
Hac duce nauta vagus ſecuris labitur undis;
  Hac duce bos tutam ſcindit arator humum.
Mille ſub hac florent ſtudioſae Pallados artes,
  Geſtit & Aonii praeſul Apollo chori.
Pro lituis per agros reſonant lotique lyraeque,
  Commoda quae Pacis celſa ſub aſtra ferant.

Praelia ſiqua juvet claroſque ſonare triumphos,
Arma viceſque canunt, magne Cupido, tuas.
Pace Venus laeta eſt. Paci bene convenit iſtis
Cum telis, bellum quîs gerit almus Amor.
His, ne deficiat terras cultura juventus,
Neu careant urbes civibus, ille facit.
Quin his, Mars, debes tua robora: Deſinat ille.
Vis erit effoeto milite nulla tibi.
Poſce tamen potius validas aetate cohortes
Gentibus ex aliis, quas fera bella juvent.
Barbara terribiles praeſtet tibi Thracia foetus:
Augeat & numeros Sarmata pube tuos.
Si tamen invicto placeat firmare Batavo
Agmina: tironum nobilis ecce manus.
Sunt quos thyrſigeri celebrant certamina Bacchi,
Nec laſſat Paphiae ſacra palaeſtra Deae.
Hi media gladios vibrantes pace per urbes
Vulneraque & caedes & fera fata crepant.
Aſt hi cum Muſis & Pallade, Pacis alumnis,
Non intermiſſo bella furore gerunt.
Turba, Gradive, tuos quae ſuppleat apta maniplos:
Hac, precor, extremos vince Boryſthenidas.
Dummodo bellorum rabies, terrorque, furorque
Pellantur patrio ſemper ab orbe procul.
At quibus haec, Populi, debetis munera, Septem,
Adſerta meritis Pace triumphus eat.
Sola triumphali digna eſt victoria pompa,
Quae patriae nulla caede cruenta venit.
Adfremat his miles, vivit qui ſemper in armis,
Et dux imperio laetior ipſe dato.

Vena-

Venales animae minima mercede faceſſant,
Quique feros enſes ambitioſus amet.
A dominis quondam male tutum pignus Iberis,
Ac mox vindicibus paene rapina ſuis,
Conſilio Procerum Libertas, optima rerum,
Stabit, & in ſolio ſtat bene firma ſuo.
Dummodo ſit noſtris Diſcordia finibus exul,
Aequatoque oneri quiſque ſubire velit.
Nemoque, luxuria cenſu nudatus avito,
Exuviis patriae turpia damna levet.
Praemia ſint meritis: ſontes vindicta ſequatur:
Dicat & in quemvis libera jura Themis.
Si vires errent campoque foroque potentum,
Legibus & pulſis ſceptra libido gerat:
Curiaque ipſa, ſibi quo vindicet omnia ſoli,
Imminuat populi ſingula jura ſui:
Ac, ceu turba minor capitis, ſuffragia cives,
Quae fuerant olim plurima, rapta gemant:
Muniaque obtineat, patrimonia civica quondam,
Turpis adulator mancipiumve potens:
Si ſocii fruſtra repetant a praeſide furtum:
Nulla peculatûs crimina poena premat:
Sanctaque vox populi ſit nomen inane Senatus,
Et Marius modo res, & modo Sulla ruat:
Plebsque tributorum gravida ſub mole fatiſcens
Non patres, rigidos experiatur heros:
Maluerint gentes unum quam mille tyrannos;
Romaque Caeſaribus ſic data ſerva ſuis.
Triſtia ſed rapidi diſcerpant omina Cori,
Aureaque aeternum tempora Pacis eant.

ELEGIA XV.

In Nuptiis

Praeſtantiſſimi, & Nobiliſſimi Viri

JEREMIAE van der MEER,

Ac Lectiſſimae Nobiliſſimaeque Virginis

MARIAE JOANNAE MUNTER.

IDaliae, Myrtus, ſoboles gratiſſima ſilvae,
  Inclytaque Aonii, Laurus, alumna jugi,
Praemia curarum, victricis praemia frontis,
  Huc e natali nunc properate ſolo:
Ut, ſuaves etenim junctae ſpiratis odores,
  E veſtris peragam ſerta venuſta comis:
Serta, quibus de more ſacra circumdare luce
  Meriadae poſſim tempora cara mei.
Ad Paphiae delubra Deae, caſtique Hymenaei,
  Victor in auratis adparat ire rotis,
Ut, quae promiſit pelago deprenſus amoris,
  Ad meritos ſolvat debita vota focos.
Quare, non alios potius vinctura capillos,
  Ocius hoc circum currite, ſerta, caput.
Ille ſinu dominae vos ponens forte triumphi
  Perpetuas teſtes juſſerit eſſe ſui.
Sollicitoque aliquis vos illic lumine ſpectans,
  Viſa bona ſitis, dicet amator, avi,

Ah!

Ah! quando, rigidae converſa mente puellae,
  Suſpendam Veneris ſic ego ſerta tholo!
Fallimur? an frondes properant huc ſponte cupitae,
  Quîs permulſa novo ridet odore domus.
Sic puto. Tu plexas tantum ne temne corollas
  Qualeſcunque mea, dulcis Amice, manu.
Nec tu, virginei princeps, Munteria, coetus,
  Materies noſtri carminis eſſe nega.
Ipſa quidem es magni, fateor, teſtudine vatis
  Digna, vel a Phoebo Pieriſinque cani:
At mea nec, primo ſi non contendat Homero,
  Eſt tibi dedecori Muſa futura, reor.
Nec fas, juſve vetant laudes celebrare Deorum,
  Dircaeo inferius ſi quis olore volat.
Ipſa decora Venus, quamvis ſe fluctibus ortam
  Gaudet Apellaeas exhibuiſſe manus,
Creditur haud ideo cunctas ſpreviſſe tabellas,
  Artifices alii quas poſuere ſibi.
Quid? quod perpetuo forſan tibi vate carendum,
  Si, niſi quae meruit, te lyra nulla canet.
Quo magis o, Superos ſic experiare faventes,
  Pronubaque inceptis adnuat aethra tuis,
Quo magis o ne dura mihi ſis, Virgo, canenti,
  Sed tibi devotis verſibus aequa veni.
Sive tuae vernum florem memorabo juventae;
  Vix Hebe quali conſpicienda venit.
Sive canam gemino radiantem ſidere frontem,
  Unde pharetratus ſpicula torquet Amor:
Spicula ſed flammis, ſed adunco praedita ferro,
  Nec leviter juſſum docta ferire latus;

Fixa

Fixa ſemel, ſollers quae non educere dextra,
  Non valeat magico Theſſalis ulla ſono:
Ipſa nec, Ambroſiae ſuccis incocta ſalubris,
  Dictamni Creſſis herba revulſa jugis.
Meriaden teſtor, cui, poſtquam ſenſerat ictus,
  Non mens, non ſolitus conſtitit ore color.
Et tamen auctores plagae crudelis ocellos
  Non odit; magis hos vulnera paſſus amat.
Hos amat, hos ſpectare juvat, ſpectare juvabit,
  Quum nive conſperget tarda ſenecta caput.
Oſcula quid referam, quid eburnea colla, manuſque,
  Roſcida quîs cedat mane pruina novo.
Adſpice, quum nigris ſpatiaris comta capillis,
  Qua tilia Amſtelias mollis inumbrat aquas,
Ut te de vitreis venerentur Naïdes undis.
  Leda Jovi magno ſic nova flamma fuit.
Sume canes comites, humeroque impone pharetram,
  Jam Dryadum fies nota Diana choro.
Vernis cinge roſis crinem, vittaque coërce,
  Caſta verecundi mater Amoris eris.
Carmine quo nunc ingenium velocius annis,
  Perque bonas artes pectora culta feram,
Aut, quales viguere nova ſub origine rerum,
  Subdita Saturno quum pia terra fuit,
Extollam faciles, dignoſque hoc pectore mores,
  Hoſpitium legit quod ſibi trina Charis!
Adjice fortunatorum decora alta penatum,
  Laurigeros faſces, purpureaſque togas.
Quid! taceamne Patrem, tenuit qui providus urbis
  Saepe gubernaclum, naviger Ya, tuae,

Quem

Quem mox auguriis poſcet ſibi curia laetis
  Conſulis ac patris rurſus obire vices.
Quod precibus ſi ſunt, & erunt, ſua pondera juſtis,
  Huic aequi Superi ſecula longa dabunt.
Hoc cupiunt Muſae, cupiunt Tritonia Pallas,
  Et Themis, & Pietas, urbis & ipſa Salus.
Felicem te, Meriade, quod & indole, & ore,
  Sanguine quod tali, praeda, puella, tua eſt.
Sed neque formoſae connubia degener, ipſe
  Audiat hoc Livor, tu generoſa petis.
Quin in te facies, quam non ſine pectore virgo
  Diligat, ingenui quam decet eſſe viri.
Eſtque tuum meritum gentes vidiſſe remotas:
  Et tibi ſunt Themidos tempora cincta manu.
Eſt animus magnis curis, nec honoribus impar.
  Quos jactes, proavos enumerare potes.
Atque utinam clari non immatura Parentis
  Pollice rupiſſet ſtamina Parca fero!
Sed quid ego hos luctus renovo, nec ducere crudi
  Sciſſa cicatricem vulneris ora ſino?
Non velit, aut probet hoc, gaudens tuus aethere celſo,
  Meriade, Genitor, conjugioque favens.
Ipſe quoque indignas Matrem deponere curas,
  Et viduo lacrimas tergere ab ore jubet.
Ipſe vetat queſtus. procul hinc tuba flebilis ito.
  Ad Veneris pompam tibia laeta facit.
Huc plectra, huc citharae faciunt, voceſque canorae,
  Plaudentum choreas huc ſtrepituſque pedum.
Huc pater, exuta prius at cum cornibus ira,
  Bacche, facis, cantus laetitiaeque dator.

Sic,

Sic, rogo, nunc adſis. optatam Cynthius axe
  Dum vehit exoriens ſplendidiore diem.
Fallor? an & ceſtum Cytherea incincta potentem,
  E Cypro properans, ad nova ſacra venit?
Maternaſque rotas centum comitantur Amores,
  Evincti rutilas flore recente comas?
Dulcis Hymen, Syria genialia tempora nardo
  Sparſus, odoratas ventilat ecce faces!
Nulla mora eſt; praeeam quin jam bona verba ſacerdos,
  Votaque ponderibus non caritura ſuis.
Vivite felices, Cumaeos vivite in annos,
  Semper & in placito ſitis amore pares.
Aurea Pax, mitiſque omni Concordia vita
  Conveniant caſto, praeſideantque, toro.
Conjugii vinclis dulces Lucina, novoſque
  Saepe favens nodos impoſuiſſe velit.
Det Deus, ut vultuque animoque ſimillima vobis
  Perpetuent claram pignora nata domum:
Ac patriae poſſint annis volventibus urbi
  Praeſidium, Batavae ſplendor & eſſe rei.
Sic veſter per ſecla novis venientia ſponſis
  Omen erit felix, ſummaque vota, torus.

PETRI

PETRI D'ORVILLE ELEGIARUM

LIBER QUINTUS.

ELEGIA I.

PSALMUS OCTAVUS.

O Deus, o ingens hominum tutela, Paterque,
  Imperio magni qui regis aſtra poli:
Quam tua ſe latis expandit gloria terris;
  Quam toto egregium nomen in orbe tenes!
Surgit ab Eois qua praeceps partibus Eurus,
  Quaque ſub occiduis deſinit ille plagis,
Quaque procelloſis regnata Aquilonibus ora eſt,
  Et pluvii aſſiduo quae madet imbre Noti:
Robora lactentes, tenerae tua robora linguae,
  Et laudes referunt, Rex metuende, tuas:
Robora, quîs ſaevos ſuperas & dejicis hoſtes,
  Protegis & populum nocte dieque tuum.
Inclyta quum celſi ſpecto palatia coeli,
  Quod tua mirificum dextra peregit opus,
Sive illic ſolem, praebentem lumina terris,
  Mulcentemque ſuae cuncta calore facis:
Sive illic lunam, noctis ſolamen opacae,
  Lucentemque aliter ſemper ab orbe novo:

Sive

Sive illic certis errantia legibus aſtra,
Mens ſtupet, & mecum ſic ego ſaepe loquor.
Hei mihi! quo potuit gens tanti humana videri,
Ut memor illius, tu Deus, eſſe velis!
Hei mihi! quam nihil eſt, & eo non digna favore,
Illius inviſas ut, Pater alme, domos!
Quid? non aligeris paullo tua dextra minorem
Fecit, & eximio cinxit honore caput?
Illi tu liquido libratas aethere terras,
Illi tu refluì caerula vaſta maris,
Illi tu pecudes armentaque magna dediſti,
Per vacuum carpit quaeque volucris iter,
Silveſtreſque feras, genus & quod vivit in undis,
Sive colat fluvios, aequora ſive colat.
O Deus, o ingens hominum tutela, Paterque,
Imperio magni qui regis aſtra poli:
Quam tua ſe latis expandit gloria terris;
Quam toto egregium nomen in orbe tenes!

ELEGIA II.

Anacreontis Ode Prima.

Ardor erat, memini, numeris gravioribus ire,
Et funeſta ſuis dicere bella modis.
Jam mihi materies heroa in carmina Phoenix
Cadmus erat, patriam dum fugit exul humum;

Et

Et gemini Atridae, ferroque ignique Pelaſgo
Diruta ſera licet, diruta Troja tamen.
Nec mora ſumta chelys, nervíſque intenta ſonoris,
Et coepi valida fila ferire manu.
Ter percuſſa lyra eſt, toties percuſſa feſellit,
Pro gravibuſque leves reddidit illa ſonos:
Proque feris telis, mulcentes corda ſagittas,
Lucenteſque faces, arma, Cupido, tua.
Projicio citharam iratus, rurſuſque reſumo.
Inſtruitur chordis ſed tamen ante novis.
Jamque paratus eram rurſus furialia bella
Dicere, & Herculeae quae potuere manus:
Ut periit Tegeaeus aper, periere bimembres,
Quique ſuo infelix corpore pavit equas,
Ac gemini in cunis eliſi fortiter angues,
Hydraque per plagas & ſua damna potens:
Suſtulit ut volucres tento Stymphalidas arcu,
Geryoneſque triplex victus & ipſe fuit.
Nequidquam. Solitos iterum decantat amores,
Neſcia conſuetis abſtinuiſſe ſonis.
Ipſe quidem rabiemque paro, bellique furores.
Sed quid ego haec? contra fortius illa valet.
Aut igitur citharae vocalia fila neceſſe eſt,
Aut ſua cum ſaevis linquere bella modis.
Sed potius tamen hoc. Heroum bella valete
Ferrea: non tanti gratia veſtra mihi eſt.

ELEGIA III.

Anacreontis Ode Duodecima.

QUid tibi vis faciam? quas, dignas crimine, poenas
Peccatis referam, garrula Hirundo, tuis?
Quae de te ſtatuam cunctas exempla volucres
Poſtmodo ſupplicio commonitura tuo?
Ne teneros etiam ſomnos abrumpere amantum,
Quaerere vel poenas garrulitate velint.
Et fas eſt poenam pro rupto ſumere ſomno.
Lampſacio hinc aſinus victima grata Deo.
Ergo ego, non bene quſs peregrinas vecta per auras
Veniſti noſtros, hoſpita tecta, lares,
Ergo ego reſcindam volucres vis, improba, pennas?
Perpetuis clauſam carceribuſve premam?
An potius, referens factum, non crimina Terei,
Quae nocuit, linguam vindice falce metam?
Et magis illa nocens. quid enim male garrula ſomnos
Suſtinuit ſummo rumpere mane meos?
Nec tamen hoc unum eſt. Somni non commoda tantum
Rapta gemo; quamvis haec quoque rapta gemo.
Cum ſomno abreptum queror acrius eſſe Bathyllum.
Hic mihi praecipuus pectora moeror agit.
Nunc facilis mihi viſus erat, nunc lenis amanti:
Carpebam laeto gaudia plena ſinu.
Me miſerum! periit ſomnus, periere lepores,
Tot periere animo gaudia grata meo.

Quid

Quid mihi ſi ſonitu nocuiſſet buccina rauco,
  Martiaque horribili tympana pulſa manu?
Tu, quam longinquo feſſam fractamque volatu
  Excepi tectis comiter ecce meis,
Quam mihi ſperavi, fueram quia dignus, amicam,
  De qua non potui damna timere mihi,
Tu mihi, tu talem mercedem, ingrata, rependis?
  Haec reddis meritis praemia digna meis?
Dicebam, mentemque ira ſtimulante ferebar
  Preſſurus rapida garrula roſtra manu:
Quam motis quoniam effugit velociter alis,
  Fac, puer, actutum nidus in igne crepet.

ELEGIA IV.

Anacreontis Ode Quartadecima.

Ille ego, qui Veneris poteram modo praemia magna
  Spreviſſe, & duro pectore, & aſper eram:
Ille idem quoſvis, quantum mutatus! amores
  Ah! miſer adfecto; nec niſi amare libet.
Nec longum eſt, memini, me quando adfatus amicis
  Commonuit verbis talia blandus Amor.
Tempus ad hoc pulcras odiſti impune puellas,
  Faſque fuit matris ſpernere jura meae.
At nunc, ſi ſapias, animi depone rigorem,
  Nunc aliquo tangi tempus amore tibi.

Utque velis, placidam Diva praebente puellam
  En tibi, & haud duri munera blanda jugi.
Nec licet, aut tutum eſt, contemnere juſſa parentis.
  Imperat. imperium vindicat ipſa ſuum.
Talia commemorat. Sed & haec & plura licebat
  Dicere. eram ſurdis ſurdior ipſe fretis.
Non tulit Idaliae proles animoſa Diones!
  Fulminat ex oculis ira dolorque Dei.
At tu, qui noſtras, ait, audes ſpernere voces,
  I nunc, i vires noſcere diſce meas.
Protinus infeſtum violentus corripit arcum,
  Jamque humero, telis plena, pharetra ſonat.
Contra ego, Pelides qualis vel maximus Hector,
  Aut Erymanthaeum qui ſuperavit aprum,
Aligerum contra in pugnas accingor Amorem,
  Indutus fortes aere rigente toros.
Ferrea nam pectus circum lorica tegebat;
  Geſtamen laevae ferrea parma manus;
Dextra gravem latae criſpabat cuſpidis haſtam;
  Enſe latus cinctum, caſſidis aere caput.
Interea volucrem pharetra fidamque ſagittam
  Deligit, & magno robore mittit Amor.
Illa volat; fueratque mihi ſparſura cerebrum:
  Vitata inflexo ni foret illa genu.
Mox alia, haud quidquam cedens virtute priori,
  Inſequitur, dextrum certa ferire latus.
Hanc ſubito in laevum flectens veſtigia ſaltu
  Effugio: veſtem ſtrinxit at illa tamen.
Ecce, novem emiſſis, pharetram bis quinque replebant,
  Vitatiſque novem, frenduit acer Amor.

Ul-

Ultima reſtabat: reſtantem fervidus in me
  Non profectura dirigit ille manu:
Scilicet e galea modo criſtas illa trementes
  Abſtulit, intactum praeteriitque caput.
Tum vero indomitos agitans ſub corde furores,
  Saevus ab ignota fraude petivit opem.
Ut, cum forte Jovis ſpeculata e nubibus ales
  In prato colubrae livida terga videt,
Devolat in terras, incautumque occupat hoſtem,
  Et telo & rapidis ocior illa Notis.
Sic Deus in nubes poſtquam ſe ſuſtulit altas,
  Signavitque oculis vulneris inde locum,
Pro jaculo ſeſe multa vi conjicit in me,
  Sperantem ſubitae terga dediſſe fugae:
Et jam ſecuro, quidquam nec tale timenti,
  Per medium pectus tranſit & oſſa mihi.
Fruſtra igitur galea, fruſtra thorace tegebar.
  Cum gladio valeat jam cava parma ſuo.
Nil juvat inductis miſeri ſi cingimur armis;
  Munimenta valent exteriora nihil.
Tutus enim, tamquam cataphractus Perſa, videbar;
  En furit intus Amor, ſaevaque bella gerit.

ELEGIA V.

Anacreontis Oda Vigesima.

IN rigidum potuit genetrix Sipyleïa ſaxum
  Converti, & lacrimas fundere dura ſilex:

Et ſumptis Procne volitare per aëra pennis,
Expertaſque ſibi non prius ire vias.
Sic ego nunc etiam vellem mutabilis eſſem,
Inque loco ſpeculi nunc tibi, Vita, forem;
A te ſpectarer, ſpectantiſque ora viderem,
Dum me de forma conſulis ipſa tua.
Aut fierem, tenui quo circumderis amictu,
Quaeque tegat teneros palla decora pedes,
Aut totus liquidas ſubito tenuarer in undas,
Ut de me nata, Vita, laveris aqua.
Imbueremve humeros unguentum factus amator,
Purpureaſque genas, purpureamque comam.
Faſcia vel teretes poſſem tetigiſſe papillas,
Fulgidaque in collo ludere gemma tuo.
Aut hoc ſi nimium, fierem modo vincula plantis,
Ut tererer pedibus ſemper ab ipſe tuis.

ELEGIA VI.

IMITATIO

Elegiae Primae Alb. Tibulli.

Sollicitis alius curis mercetur honores,
Lucroſique obeat jurgia rauca fori.
Me mea detineat molli Pimpleïs in arte,
Dum mihi circumdent laurea ſerta caput;

Dum

Dum non deſtituat, ſed mitis plena miniſtret
  Semper Hyanteis pocula Phoebus aquis.
Ergo vel celeri percurram pectine chordas,
  Aut agili feriam fila ſonora manu:
Nec calamum interdum labris triviſſe pigebit,
  Arcadii calamum munera grata Dei:
Nec flavamve Chloen, tenuive Lycorida fronte
  Dicere, qua mollem myrtus opacat humum.
Nec, cum ver fuerit, ceſſabo rite per annos
  Debita Pieriſin munera ferre meis.
Tum tibi, Phoebe pater, veteri de more litabo,
  Nec deerunt capiti florea ſerta tuo;
Tum, quae prima novus nobis produxerit annus,
  Fixa leges fanis carmina noſtra tuis.
Tum non indictum mea fiſtula Pana relinquet,
  Et tua de nobis munera, Bacche, feres.
Deinde tuis faciam, tellus Argiva, poëtis,
  Deinde Latina tuis, deinde Batava tuis.
Nam vates ſeu ſerta vetus quis Delia geſtat,
  Seu novus, ille mihi numinis inſtar habet.
Tantum, oro, faciles nobis vos eſſe velitis.
  Dona nec e pura ſpernite parva manu.
Illos, vena beat quos plurima, grandia fas eſt
  Reddere. de nobis ſat leve carmen erit.
At vos exiguo, Livorque & Mome, poëtae
  Parcite. in inſignes arma movenda viros.
Non ego ſum, celſo feriam qui vertice coelum.
  Egregiis merces vatibus iſta venit.
Si poſſim bifido, ſatis eſt mihi, monte morari,
  Atque aliquem vates inter habere locum.

Quam juvat hic varios placidum ridere tumultus,
Hic dum ſperat opes, ille parare decus!
Quam juvat hic riguis ſpatiari molliter hortis!
Quam modo per requiem ſomnia grata ſequi!
Somnia quae nulli ſunt umquam viſa profano,
Qualia non vulgus, ſordida turba, capit.
Vidit at Aſcraeus vates, quum paſceret agnos:
Ac quicumque ſacrae Phocidos amne bibit.
Haec mihi. nodoſas alii ſtet ſolvere leges,
Et miſero linguam proſtituiſſe lucro:
Aut poſt ſollicita ſuffragia vendita cura
Tergemino vanum tollere honore caput.
Non ego jam nequeo curis ſemotus ab iſtis,
Verſibus a teneris nomen habere mihi,
Et placidus ſemper tutae indulſiſſe quieti,
Aoniiſque choris implicuiſſe manum.
Cum lucro potius magni valeatis honores,
Quam cogar Muſas deſtituiſſe meas.
Quem capit ambitio, quem fulvum faſcinat aurum;
Hunc decet & curas, duraque multa pati.
Me retinent dulcis blandiſſima vincla Thaliae,
Mille voluptates me, lepidique joci.
Non ego laurigeros cupio, mea Muſa, triumphos:
Dum de te, quodvis fac mihi nomen eat.
Dum tecum, nemorumque comae, laqueataque topho
Antra juvent, Clariae dulcis & hauſtus aquae,
Nec pigeat, tibi quîs fiat formoſa corolla,
Liliaque & mollem deligere ungue roſam.
Quo mihi vel regnum vel Croeſi magna talenta,
Si me perpetuo cura maligna premat!

Si

Si me circumſtent miſeri ſine fine labores,
Ac pereant Muſis otia grata meis.
Ille ſilex, qui Pieridas quum poſſet amicas,
Et trigam Charitum ſemper habere ſuam,
Maluerit rixaſque fori, perplexaque jura,
Aut dubios faſces anxius uſque ſequi.
Ille licet latum demittat pectore clavum,
Candentiſque togae ſyrmate verrat humum:
Ille domos amplas, defenſorumque reorum
Ex ſpoliis campi jugera multa paret.
Ipſe ego te venerer, vivam tibi deditus uni,
Muſa mea, hoc feriat dum Libitina caput.
Pro quo, judiciis non vilia praemia noſtris,
Non indefletum fac, rogo, terra premat.
Atque aliquis moeſto lacrimans in funere clamet,
Theſpiadum fueras tu quoque dulcis amor.
Veſter amor fuit heu! indignos ſolvite crines,
Caſtalides; flavas, Cynthie, ſolve comas;
Solvite, & abſumtum lacrimis donate poëtam,
Neu cineri officium dulce negate pio.
Sic clamet. lacero potius ſed parcite crini,
Et lacrimis. res haec invidioſa mihi.
Me modo nunc, precor, ad choreas admittite veſtras,
Perſephone noſtram quam ſecet ante comam.
Hic non ſegnis ero. valeant faſceſque, forumque.
Haec cupidis faciant taedia longa viris.
Aſt ego ſacrato contentus nomine vatis,
Lucraque, palmatas deſpiciamque togas.

ELEGIA VII.

Q. Horatii Flacci Oda nona Libri primi.

Cernis, ut albenti borealibus aſpera ventis
  Veſtit hiems montes vellere, veſtit agros;
Ut nivibus jactis omnis jam ſilva laborat;
  Ut vix impoſitum ſuſtinet arbor onus:
Ut facit admiſſos glacies conſiſtere rivos;
  Ut, modo quae naves, jam vehit unda rotam.
Et tu frigus adhuc diſſolvere, lignaque ceſſas
  Ponere in accenſos, o Taliarche, focos?
Quid ceſſas? dudum perfundat pectora Liber
  Laetitia, coecos excutiatque metus.
Nunc tempus, ſaevos cum frigore ſpernere ventos,
  Ignibus exſtructis, appoſitoque mero.
Cetera magnorum curae permitte Deorum:
  Quîs coelum, & tellus, paret & unda maris.
Vidi ego ſopitum ſubito conſurgere Corum,
  Et tumidum fieri, cum voluere, fretum:
Et vidi ſubito ſaevas poſuiſſe procellas;
  Et fragor in toto gurgite nullus erat:
Nec veteres ſilvis orni, celſaeque cupreſſi
  Murmura jactatis ulla dedere comis.
Craſtina portarit tibi quid, quum fulſerit, Eos,
  Ne quaeſiſſe velis. Scire futura nefas.
Ipſe Deus prudens homini ventura negavit
  Noſcere, & obſcura nocte premenda dedit.

Va-

Vanaque ab excelſo ridet molimina, ſi quis
  Quid trepidare ultra faſque piumque velit.
Arripe quod praeſens, agita nec mente futurum.
  Hoc ſatis, haec curae ſit tibi meta tuae.
Quemque tibi dederit fortuna ſecunda dierum,
  Utere. praeteriit non reditura dies.
Jam fragiles venient, pulſis melioribus, anni,
  Quaeque tuos vultus ruga ſenilis aret:
Triſtia jam venient, pariter veniente ſenecta,
  Et vitae fugient omnia laeta tuae.
Tunc nec blanditiae luſuſve jocive placebunt,
  Nec quondam juveni quae placuere tibi.
Dum vires igitur, dum luſibus utilis aetas,
  Dum neque canities inficit alba comas:
Ne tu ne faciles ſpernas, pulcerrime, amores,
  Neve leves choreas ſit celebrare pudor.
Nunc tibi ſit Campus curae, ſit Tybridis unda,
  Nunc tibi cum teneris blanda theatra modis.
Gaudia nunc mediae producta in tempora noctis;
  Immiſſa in calices nunc juvet orta dies.
Nec ceſſent nutus, taceant nec dulcia verba,
  Verba ſupercilio, verba notata mero.
Nunc tibi deprendi cupientem prodat amicam
  Riſus ab occulto, quo latet illa, loco.
Nunc gratum manibus pignus, digitove puellae
  Non aegre victae deripuiſſe juvet.
Omnia nunc facias, quae mox aut tarda ſenectus
  Abneget, aut rapido mors properata pede.

ELEGIA VIII.

Q. Horatii Flacci Oda Octava Libri Secundi.

AT tibi vis credam, Barine! nempe feſellit
  Quum tua me toties lingua, datamque fidem.
Nunc etiam memini, quando ſic, fallere certa,
  Jurabas omnes in mea verba Deos.
Tum poterit, liquidas piſcis quum fugerit undas,
  Barine dominum deſeruiſſe ſuum:
Jam piſces undis terras habitate relictis:
  Deſeruit dominum noſtra puella ſuum.
Quumque ovis abjectis catulos eduxerit agnis,
  Barinae Flacco carior alter erit:
Lanigerae pecudes, catulos educite olentes;
  Barinae Flacco carior alter amans.
Credere juranti poſſem tamen; ulla fuiſſet
  Si te perfidiae poena ſecuta tuae.
Umquam ſi qua tuae, per quas jurata ſolebas
  Fallere, ſenſiſſent debita damna comae:
Factaque formoſis ſi de tot turpior uno
  Dentibus, aut uno turpior ungue fores.
At ſimul, ut miſerum ludas, adſtringere votis
  Non verita es fallax numine teſte caput,
Haud tamen, ut decuit, laedunt perjuria; quaeque
  Pulcra fuit facies, tum quoque pulcra manet.
Non nocuiſſe parum eſt. profunt perjuria formae,
  Et mentis vitio cauſſa decoris ineſt.

Pul-

Pulcrior effulges, ceu ſol qui nubibus exit,
  Et juvenum incedis publica cura choro.
Credat amans aliquo cineres in honore parentum:
  Quîs falli poſſit, nomina vana dabunt.
Numinibus coeli fidas, Erebique citatis:
  Fruſtra. juratis decipiere Deis.
Ergo Cydippe, fieret ne perfida, ſenſit
  Sola pharetratae numina ſaeva Deae!
Vindicta Latiis nulla ſectante puellis
  Fallere dant Divi ſeque polumque ſuum!
Talia nimirum perjuria ridet ab alto,
  Exempliſque ſuis nunc Cytherea favet.
Fertur enim, dubiis ſi fas eſt credere, Martem
  His luſiſſe ſuum non ſemel ipſa dolis.
Haec Venus, haec Veneri comitatus ſemper adhaerens,
  Cum Nymphis ridet Gratia trina ſuis.
Ridet &, ardentes acuens in cote ſagittas,
  Saevior in miſeros uſque, Cupido, viros.
Adde quod & pubes, tibi quae deſerviat uni,
  Creſcit in aſſiduos, praeda novella, dies:
Nec prior infidae, quamvis hoc ſaepe minatus,
  Tecta tamen dominae foeda relinquit amans:
Teque ſuis mater miſeris timet anxia natis,
  Te nimium parci ſollicitique ſenes;
Te, tua ne lentum tardaverit aura maritum,
  In ſocios nuper ducta puella toros.
Atque haec cuncta tibi, quis credat! commoda praebet
  Perfida, nec metuens fallere, lingua, Deos.

EPIGRAMMATA

Verſa ex Anthologia.

L. I. ſ. 7.

Qui rate tranſit Atho, pontum pede tranſit & Helles,
  Terrae mutatis Oceanique viis,
Hunc ter centeno Lacedaemon milite ſiſtit:
  Proh! pudor! imbelles Dii ſalis atque ſoli!

L. I. c. ſ. 17.

Moenia Macyni potuit feciſſe Philippus
  Pervia. Claude tuum, Jupiter alte, polum.
Aequora cum terris Macedo ferus ille ſubegit:
  Ad coelum reſtat jam via ſola tuum.

L. I. ſ. 18.

Ad Jovem de Roma.

Aeratas praeclude fores ingentis Olympi,
  Inque ſacri vigila, Jupiter, arce poli:
Jam maria & terras Romanus ſub juga miſit;
  Unica nunc ſupereſt in tua regna via.

L. I. 12. 6.

Uti opibus tanquam moriturus diſce, tuiſque
  Tanquam victurus parcere diſce bonis.
Ille etenim vere eſt ſapiens, qui doctus utrumque
  Et facit, & ſumtus temperat uſque ſuos.

L. I.

L. I. Cap. 66. 1.

Pauper eram juvenis: ſenior nunc multa talenta
  Poſſideo. nimium ſorte in utraque miſer.
Uti quum poteram, quantum illa tenere fuiſſet!
  Nunc non utendae quo mihi dantur opes?

L. I. 66. 3.

Eſt animo dives quicumque, is denique dives:
  Cetera divitiis nam potiora tenet.
Hunc etenim recte locupletem & multa tenentem
  Dixeris, uti opibus qui bene doctus erit.
In nummis vero ſi quis tabeſcit, adeptis
  Feſtinans alias addere ſemper opes,
Adſimilandus api eſt, multo ſtudioſa labore
  Quae, rapienda aliis, non ſibi mella legit.

L. I. 71. 1.

Mordeat ipſe malos vel mus, proverbia dicunt,
  Dicere ſed non ſic hoc decuiſſe puto.
Sed mage; mus homineſque bonos, litemque peroſos
  Mordeat, ipſa autem nec petat Hydra malos.

L. I. 67. 1.

Lumen ut exſtinguit ſtellarum orbisque Dianae
  Sol, ſimul ignito moverit axe diem:
Sic chorus occubuit vatum prior, ut fuit ortus
  Praeradians muſae fulgor, Homere, tuae.

L. I. 77. 1.

Si galeata cygno cantare ſimillima poſſit,
Si cum luſciniis noctua certet iners,
Cedere dicatur ſi grata cicada cuculo,
Ipſe ego Palladio non minor eſſe queo.

L. I. c. 85. 2.

Heliodore, boni theſaurus grandis amici:
Aſt illi, talem qui retinere ſciat.

L. I. 87. 1.

Fida ſoporiferas pullis circumdabat alas
Gallina, hibernae dum riguere nives:
Aſſiduo periit ſed frigore: namque manebat
Horrificas arcens aetheris uſque minas.
At vos, o Progne & Medea, rubeſcite matres
Sub Styge, diſcentes alitis hujus opus.

L. I. 87. 4.

Quum terras circum volitaſti & litora, hirundo,
Medeae pictis nidificas tabulis.
Tune tuis fidam ſperas fore Colchida pullis,
Quod natis olim non fuit ipſa ſuis?

L. II. 13. 5.

Hermocrates Naſi: nam ſi vis dicere naſum
Hermocratis, parvis tum male magna dabis.

L. II. 40. 1.

Sunt etiam Furiae, quae te fecere poëtam,
  In Muſis; temere hinc ſcribere multa ſoles:
Oro igitur, ſcribas quam plurima; namque precari
  Majorem poſſum non tibi ſtultitiam.

L. II. 50. 12.

Quo tibi divitiae, ſi mens eſt ſordida, magnae?
  Heredi dives, pauper at ipſe tibi.

L. III. 12. 5.

Non tibi conjugium, Cleariſte, caſta mariti
  Zona recincta manu, ſed fera fata tulit.
Sub noctem feſtis reſonabat tibia tectis:
  Laetitiae thalami janua ſigna dabat.
Mane ſed immenſo reboarunt atria luctu;
  Ipſe quoque in carmen flebile verſus Hymen.
Taedaque quae ſponſam ſponſi deduxit ad aedem,
  Monſtravit functae ſub Phlegethonta viam.

L. III. 14. 12.

Hector donavit gladio Ajacem, Hectora balteo
  Ajax: letiferum munus utrique fuit.

Idem aliter.

Ajacis periit Hector dono, Hectoris Ajax.
  Quid! ſcires hoſti munus ab hoſte datum.

L. IV. 12. 22.

Arma videns Pallas Cythereïda forte tenentem,
Sic, Cypri, judicium vis ſubeamus? ait.
Dulce Venus ridens reſpondit, nil opus armis,
Palmam nuda tuli, nunc clypeata feram.

L. VII. 29.

Aureus imber erat, Danaës quum zona recincta eſt,
Praebueruntque aditus aerea tecta Jovi.
Fabula ſic ait: Omnipotens ſed aënea tecta
Aurum perrumpit, vinclaque nexa ſecat.
Hoc ſolidas reſtes, claveſque refringit aënas:
Virgineum hoc flectit triſte ſupercilium.
Hoc quoque mota fuit Danaë. jam ne quis amator
Sit Veneri ſupplex, ſi queat aera dare.

Ex DANIELE HEINSIO,

Quum amicae patriam praeternavigaret.

Urbs ſalve, Batavae fortunatiſſima terrae,
Demophilen noſtram quae ter amata tenes.
Urbs ſalve: praeceps alio nos abripit aeſtus:
Dictaque mox linquam rupta jubente Noto.
At mihi tu verbum dic hoc illius in aurem
Unum: jucundum nam reor illud erit.
Nos medias licet inter aquas, tamen ut prius uri
Antiquis medias ignibus inter aquas.

PETRI

PETRI D'ORVILLE CARMINUM LIBER.

I.

CHRISTUS TRIUMPHANS IN CRUCE.

EX

JOANNIS VOLLENHOVII,

BELGICO.

QUis me docebit canticum, dignum, novum?
  Quis o! triumphales ſonos?
Ut ſiderum ſuper arduas feram domos,
  Grates agente carmine;
Fontem beatitatis unicum meae,
  E ligno Ieſum pendulum.
Vocale ſed nec incolens Clio nemus,
  Nec ipſe barbiton ſuam
Nobis Apollo commodet, furentium
  Effecta vatum numina.
Diſpar volenti ſanctiuſque nunc melos,
  Permeſſidos pro flumine,
Pindi canoro monte pro biverticis,
  Rupes erunt Calvariae.
Non, ſi vagans Sionis arduo jugo,
  Potis Siloes fontibus,

Auras camena perſonem Davidica,
  Tropaea tanta dixerim:
At ſtirpis ingens germen o Jeſſeïae,
  Idemque ſed ſtirpis ſator,
Heruſque ſummus! mene conticeſcere
  De laudibus fas ſit tuis?
Tecum cruenti dira, tecum ſcandere
  Montis juvat cacumina!
Tibique, flexo poplite ad feram trabem,
  Manus tuliſſe ſupplices:
Illic & hujus lubricum vitae bonum,
  Et blandientis perfidos
Secli dolos, fumoſque inanes Africo
  Obliviofo tradere:
Et prorſus illic obrutum ſubſidere
  Amoris alto gurgite
Magni, ſtupendi; vulneravit qui magis
  Te, Chriſte, ſubfixum cruci,
Clavi lacertis quam trabales fortibus
  Duriſque adacti malleis.
Polita procul hinc ite nobis carmina,
  Quibus optimum forent melos
Lamenta mixtis lacrimis incondita,
  Cum ſole deliquium & pati.
Natura vatem ſic praeit, ululatibus
  Feriſque praegnans planctibus.
Amara luctus unde vox ſonat vagi
  Utramque per Phoebi domum.
Moeſtum repente deſerit dum lux diem,
  Telluſque mugit horridum,

Imis

Imis tremiſcens & vacillat ſedibus.
  Hoc, hoc ſepulcris mortuos
Prodire cogit, carne veſtitos nova,
  Orci refracto carcere.
Hoc ſacra limina implet, & quatit metu,
  Dum rupta pandunt abditum
Aulaea templi; robur & ceu fiſſile
  Saxoſa moles diſſilit.
Coelum ſuperne, infraque tellus intonet,
  Cuncta & minentur ultimam
Licet ruinam; mundus hunc mirarier
  Mundi laborem deſinat.
Quid? Filium videmus an non hic Deum,
  Dei voluptatem Patris,
Pendere trunco, poſteris heu! Iſaci,
  Et gentibus ludibrium?
Illudque ſpinis aſperis laeſum caput,
  Taboque foedatum putri
Radiis coruſcans quod diem vincentibus,
  Tabor ſtupeſcebat modo.
Qui ſerica nos veſte, qui plumis aves,
  Viridante campos ceſpite,
Stelliſque magnum ceu peplo induit polum,
  Nonne hunc egenum tegminis,
Crudeliterque membra tentum cerminus?
  Frontemque, fronte qualibet
Formoſiorem, & igneis aſtris parem,
  Spectantiumque gaudium,
Squalere floris inſtar, immiti pede
  In turpe dejecti ſolum?

Coeli recluſum nuper & quibus atrium
  Patebat, illa lumina
Corrupta fletu, ſemiapertis & genis
  In morte jam natantia?
Aureſque dentis vulneratas impii
  Injurioſis morſibus?
Aures, lubenter combibebant quae prius
  Vocem loquentis haec Patris:
Hic noſter eſt, hic natus, illi flectite
  Terrae univerſae poplitem,
Capeſſite hujus juſſa, ſic mando Deus.
  Vos, ora non mortalia,
Vitaque plenus ſermo, plenus gratia
  Fluebat unde perpetim,
Rubere tota quam cruento verbere
  Vos intuemur, & Dei
Faucem refectam vix aceti, proh! nefas!
  Ac fellis hauſtu noxii.
Manus benignae! quîs ſalutem redditam
  Debere ſe tot agmina
Fatentur aegrotantum, ab ipſo ſaepius
  Reducta mortis limine.
Pedes ſtupendi; ſtagna qui liquentia,
  Ventiſque turgidum mare,
Tutis ſoletis ambulare non ſecus,
  Ac ſicca terrae, paſſibus.
Crudele ferrum findit ut vos, oſſuum
  Ut dividit compagines!
Surgit camena, ſurgit hic alte tamen,
  Conferta dicens proelia.

Heros

Heros ſed ecce! qualis incedit meus,
  Judae ille de tribu ferox
Leo, recenter ex Idumaeo velut
  Deſcendat in praedam jugo.
Ingens propago tu ſed Heroum, quater
  Et amplius ſalve mihi,
Tabo cruento membra ſparſus, hoſtium
  Qui contudiſti robora.
Tunc, quando nuſquam in ultimo diſcrimine
  Comparuit quid auxilî,
Calcare praela ſolus iracundiae
  Coeleſtis auſus fervida.
Adhuc amictus unde victor obtines
  Succo decoro ſordidos,
Te fortiter ſequentium haud ſine gloria.
  Io triumphe! nobilem
Adorea, triumphe nos bis io! juvat
  Clamante voce proſequi,
Hebraea dum gens ſaevit impotentia,
  Vomitque contumelias.
Illum licebit exſecrando ſtipiti
  Veſanientes dexterae
Inter latronum bina figant corpora,
  Mirabile o dictu tamen
Fulgens coronae protinus decus impetrat
  En unus ex ſicariis,
Huic mente ſiſus penſili recta viro.
  At ſigna cernit imperI
Non ulla, non monile, non ſatellites:
  Adparet hic nil regium.

 Dia-

Diadema ſolum ex vepribus premit caput.
  Pro purpura rubet cruor.
Clavique, plantis ſcamna, ſceptra dexterae
  Sunt, perforantes ſingula.
Nunquam at quadrigis vectus in Capitolium
  Sublime victor aureis
Sic eſt locutus, quale noſter Golgotha;
  Hac ipſe luce gentibus
Hac imperare me videbis omnibus
  Coeli receptum regia.
Fides, futurum ultraque cernens ultimos
  Patentis orbis terminos,
Non ſtipite aut offenditur clavis, neque
  In rebus haeret terreis.
Sic intuendo perſeveramus ſequi
  Heroa noſtrum adhuc, polo
Exemplar unum militantis agminis,
  Qui fluctuanti Pontio
Bene abſolutus, inde damnatus male,
  Et tractus heu! in Golgothae,
In Golgothae cacumen illaetabilis,
  Non criminum poenas nocens
Expendit illic, ſed cruore plurimo
  Tropaea manans erigit,
Quîs Caeſaris tropaea concedant, licet
  Aquilis ſubegerit ſuis
Omnes, patet qua terra lata, principes.
  In arce Mortem propria,
Ibi audet oppugnare, conſcius licet,
  Monumenta quod victoriae

Hic

Hic excitare crebra victrix ſueverat.
Quin cum ſuis Erinnyſin
Illic Avernum ſuſtinet laceſſere,
Dolore creſcentem ſuo:
Mox ipſe curru quem triumphali ſedens
Ducet frementem dentibus,
Collo retorto, & impias vinctum manus;
O! inſolens ſpectaculum.
Foedatur omnis qua maligne conditis
Albetque campus oſſibus,
Paſſimque rapto corpore avulſae manus,
Pedeſque truncati jacent.
Arena in iſta, pallida formidine,
Horrore quaqua lurido
Plena, videmus acriter concurrere
Heroas inter ſe duos.
Par quale numquam Phoebus adſpexit cadens,
Mariſve ſurgens fluctibus.
Vaſtis tremendum proeliantur viribus
Hinc quippe Cocyti Draco,
At inde Michael bellicoſus, cum duce
Potente, dux potentior.
Caliginoſis prodeat nunc ſedibus,
Quodcumque funeſta Styge
Infanda ſacramenta funeſtum magis
Dixit Tyranno Tartari,
Adverſus alti ſcita ſancta Numinis
Semper parato tendere.
Atqui reportat inclytam victoriam
Hinc noſter Heros, fortiter

Preſſa furentem fauce ſternens Cerberum.
  Sudore quamvis plurimo
Hoc conſtet illi proelium, & ſerpens feris
  Calcem fatiget morſibus;
Muliebre ſemen ſic oportuit tamen
  Contundere obtritum caput
Stygii colubri. In credito primis male
  Parentibus pomario
Furiarum ovabat ductor infernalium:
  Hic verſa belli eſt alea.
Nobis Ieſus fortibus quando toris
  Servile fregit vinculum.
Ex quo proterva matris Evae dextera
  Peccavit in foetu arboris
Interminato, nationes poſterae,
  Reae parentum criminis,
Seſe prementi ſubditas mortis jugo
  Senſere inevitabilis.
Nobis at ambas Chriſtus ex orno manus
  Amore puro porrigens
Contra venena pharmacum letalia
  Fit ipſe praeſentiſſimum.
Illumque, vitae permanentis arborem,
  Crux, mortis arbor, ſuſtinet.
Traxit ruinam prenſa ſi quondam domus
  Utraque Simſonis manu,
Tum, quum virorum, certus emori, dedit
  Leto tot unus millia.
Palmis hic alter ecce! Simſon ſauciis,
  Et adligatis ad trabem,

Aeter-

Aeterna tecta regiae fundat ſuae,
Spoliumque rapit ex hoſtibus.
Quamvis Tyranni nigra vivus agmina
Humi valebat ſternere,
Nunc pluris ipſis conſtat, Herois fero
Nex vindicata fulmine.
Lignum coëgit vile ſi dulceſcere
Marae liquores aſperos;
Verum crucis guſtare nos lignum facit
Fluenta rurſus gratiae
Coeleſtis, haurientibus mitiſſima.
Si trabs, in undas dextera
Conjecta vatis, perditum produxerit
Ab amne ferrum; trabs crucis
Merſos miſeriae dudum ineluctabili
Nos extrahit voragine.
Iacobus in quiete ſcalas viderat
Convexa coeli tangere;
Ut angeli nos ocyusque per crucis
In aſtra tollimus gradus.
Erectus anguis per Moyſen aereus
Contra feros ſerpentium
Ictus medetur, ſaevienti toxico
Quarum gemebat Iſraël.
At deliteſcens carne mortali Deus,
Suſpenſus infami trabe,
Amarulentis corda ſciſſus vocibus,
A peſte turpium ſuam
Gentem nocente vindicat libidinum,
Et vulneratus vulnera

Per-

Perſanat inveterata. ſaxa, ter quater
  Percuſſa ſceptro, dextera
Moſaea quondam fregit, atque ex aridis
  Manare fecit cautibus
Largos liquores, ſicca quîs tot agmina
  Fauces levabant torridas.
Hic ſe, ſiti hic enecta mens inebriat
  Fuſi cruoris atque aquae
Torrente, Chriſti perforata cuſpide
  Quem coſta mittit plurimum.
Hac fauſtitatis fons perennis profluit,
  Cantatus ille vatibus,
Salemicae qui civitatis eluens
  Abſtergat informem ſitum.
Venis, Ieſu, de tuis manans cruor,
  Res margaritis carior,
Rivuſque amoris, ac beatitudinum
  Scatebra jugis omnium,
Tuus ille ſanguis mollit offenſi Patris,
  Et placat iracundiam,
Levatque nos dolore, mentemque anxiis
  Confirmat in conflictibus:
Aeſtumque ſedat conſcientiae, ſitim
  Explere & animarum valet.
At noſtra mens te non, Ieſu, maxime
  Hac voce damnatum putat;
Hunc tollite, Hunc, clamantis Hebraei, in crucem
  Dudum merentem tollite.
Conferre culpam quaero non in judices,
  Myſtaſve legum ac rituum

In-

Infeſtiores, conſciosve praemio
Emtos, & inteſtabiles.
Nos, Chriſte, nos porreximus ſpumans tibi
Coeleſtis irae poculum,
Deceptus orbis praeda ne Diti foret,
Quod hauriebas impiger.
Fructus negatae poſt comeſos arboris;
Quodcumque patratur, ſcelus
Venit luendum, culpa quaelibet tibi eſt
Furentis ictus mallei,
Caputque acuta ſpina laedens cuſpide,
Vibexque dorſo ſaeviens,
Sicco palato noxius fellis ſapor,
Et vulnus altum pectori,
Ac rore clavus ſanguinis ſtillans tui.
Ego ille nequam, proditor
Herilis innocentiae; Te, mi Deus;
Ego abnegavi ſaepius,
Nec voce ſola; ego te ligavi vinculis,
Tuumque juravi in caput.
Meus Redemtor ſed, paratus quaelibet
Et perpeti, & culpa procul,
Pro tot nefandis, mortis atrociſſimae
Mercede qui ſteterunt ſibi,
Offert eundem ſanguinem, cujus reus
Habere tabo perlitam
Agnoſco dextram, more ſed nullis aquis
Piabilem Pilatico.
At labe tanti liberat me criminis,
Liquor o! inaeſtimabilis,

Hic

Hic ipſe ſanguis, lacrimis mixtus meis,
  Profundo quas miſer, pudens,
Humique ſtratus, corda ſanctis legibus
  Perculſus & fractus Dei.
Lugubre crux modo ingemiſcentum videt,
  Eademque rore mox genas
Siccare terſo, dum ſalutis obſidem
  Amplector ulnis arborem.
Nunc deficit mens, nunc in altum cum Deo
  Cruce ſublevatus recreor.
Contemplor hic ſpectaculum mirabile,
  Sed me quod inſimul beat!
Ira calentis inde Vindictam Dei
  Cerno, hinc paratam Gratiam.
Severa Juſtitia ultionem clamitat,
  Remittit hanc Clementia:
Litem diremit Numinis mens provida,
  Utriſque largiens ſuum.
Videmus hac pendere membranas cruce,
  Quîs ſingulorum crimina
Stant victimarum denotata ſanguine,
  Numeroque inexplicabili.
Sed illa curas rurſus omnes eximit,
  Nobis quod illic exhibet,
Et teſtibus, fidiſque ſignis praeditas,
  Inpunitatis literas,
Ceraeque prorſus creditricis nomina
  Expuncta; dicta quod die
Perſolvit omne debitum ſponſor meus.
  Lignoque eodem vincere

Ru-

Rubore vel corallium vel ſanguinem
Peccata noſtra conſpicor:
Et albicare rurſus haec lana magis,
Lapſa recenter aut nive.
At ipſe me plus gente Judaea, ſuum
Dominum trucidante & vadem
Dementer, excuſare vix, vix audeo.
Inſaniente quin adhuc
Videor Abrami cum nepote dicere,
Illius in noſtrum caput
Cruor redundet, inque noſtra pignora.
Quamquam ab Jacobi poſteris
Poenas ſeveras provocata numinis
Ob hoc repoſcat ultio;
Capitale condonatur id nobis nefas,
Chriſti rigatis ſanguine.
O luctuoſis luſa gens fallaciis,
Quae diceris fruſtra patris
Proles Abrami, contumax & degener,
Quam veſtra vellem lumina
Satis paterent! nec gravata hebeſcerent
Cum mente, Moſis tegmine!
Tantum at viderent, ipſe quantum creditur
Vidiſſe, quum vidit Deum!
Tum cerneretis, protegente nemine,
A cognitoribus malis
Veſtrum hic premi, jocumque fieri adſtantibus,
Emmanuelem, virginis
Alvo e pudica qui ſtatuto tempore
Coeli ſub auras prodiit,

Et

Et carne ſeſe veſtiens noſtra ſuum
  Orbi reconciliat Patrem.
Jam non Adamus falleret vos hic novus;
  Tot dura pro nobis ferens,
Et, ipſe quam portarat ante, fera in cruce
  Efflans ſupremos halitus:
In ſe omnium nam ſarcinas receperat.
  Non vos carens majoribus
Melchiſedechus hic lateret amplius,
  Quem jure jurando Deus
Legit ſacrorum antiſtitem perennium:
  Cui ſolvere decimas parum,
Primaſque fruges; quippe nos & omnia
  Huic noſtra debemus, quia
Majora nobis contulit, quam tritici
  Laetaeve foetus vineae.
Tot arietes mactare quid porro attinet?
  Quid tot capellas urere
Sacris in aris? parce, parce ſanguini,
  Levita, tandem bubulo;
Coeleſte tura reſpuit Numen tua.
  Fruſtra obſeratas jam Dei
Aures fatigant mugientium boum
  Sublata coelo murmura,
Triſtiſque balantum ejulatio gregum,
  Quos mucro crudelis necat.
Se ſponte morti noſter agnus offerens,
  Quem candicanti vellere
Tot rite depinxere nobis hoſtiae,
  Vateſque praedicaverunt,

Iſtis

Iſtis carere ritibus dudum docet,
  Sacroſque Aäronis foco
Exſtinxit ignes, ac favillas obruit.
  Fuſus per aras ſcilicet
Tauri cruor, graveolentis aut hirci, male
  Animas nocentes expiat.
At corda tantum luſtrat agnus, in cruce
  Suffixus, illic immolans
Seſe lubenter: venit unde in ſidera
  Odoris aura ſuavior,
Quam turis aut acerra, vel pinguedine
  Altare fumans naribus
Per ſeculorum tot Deo lapſum obtulit.
  Hic parte nulla debilis,
Hereditaria inquinatus nec nota,
  Sed labis expers ac luis,
Candore totus lacteo ſpectabilis,
  Vitaeque purus, innocens,
Amoris acri toſtus immenſi face,
  Atque, approbantis victimam,
Conſumtus omnis ignea vi Numinis,
  Fuſo litavit ſanguine.
Hebraea trepidat, horret, ac pallet domus,
  Quoties tonantia hauriat
Praecepta legis, a Deo ter maximo
  Dictata Moſi; qua petit
Ebal nivoſis ſiderum domos jugis.
  At fulminantis tot minae
Legis, tot imprecationes horridae,
  Nunc reciderunt ſub crucis

Faſce heu! gementis in caput vicarium:
  In illud unicum caput
Effudit omnis ſe Dei indignatio:
  Servetur ut Abrami genus.
Quod ſi per orbem ferret arma bellica
  Equo Redemtor inſidens,
Septus catervis mille, mille curribus,
  Solamen ut caſſum foret!
Teſtudo Chriſtum regia haud talem canit,
  Judaea qualem ſomniat;
Sed deſpicatum, cuncta tento corpore
  Sed cujus oſſa ſupputes.
Meſſiam ut agnum praedicant mitem ſacra
  Nobis Eſaiae carmina,
Qualiſque obiret muta & innocens ovis,
  Altaribus quae ſiſtitur.
Gravatus ille, quaeſo, tot diris mihi
  In fauſta cedat omina:
Ejus dolores atque contumeliae
  In gaudium & vertant decus:
Judaea quidquid obſtrepat, male Graecia
  Vel feriata rideat.
Procul recede, Aaronis o qui pro foco,
  Et abrogatis victimis
Pugnas adhuc; cruciſque quiſquis regia
  Volens aberras de via.
Piaculoque ab hujus, oblato ſemel,
  Aufer profanam dexteram,
Qui rupe pectus durius quavis gerens
  Hunc non ſine probris in cruce

De-

Defigis iterum, ſic inexorabilem
  Tibi conciens iram Dei.
Tuque hinc abi, qui crediturum te negas,
  Lateri manum immergas licet.
Et qui ſacratum venditare ſanguinem
  Aes adferenti ſuſtines,
Quin vel minori ſaepe, quam Judas prius
  Quo dirus ipſum vendidit.
Peſtes nefandae vos ſalutaris crucis
  Hinc ocyus faceſſite.
Nobis adire convenit culmen ſacrum,
  Non ore qui tantum crucem,
Corde at fatemur, dulce quibus eſſet pati
  Et dulce cum Chriſto mori.
Palmis ſupinis nos decet, flexo & genu
  Huic ſupplicare penſili.
Quaecumque pars hic corporis ſeſe movet,
  Immota vel loco manet,
Haurire certe quaeque nos vivam ſacro
  Invitat undam gurgite.
Nam ſive ad ulnas illius convertimur,
  Amplexibus totae patent.
Sive ad caput recline, nobis pignora
  En pacis offert oſcula.
Pendens Ieſus, omnis expers tegminis,
  Et improbis deriſui,
In candidis nos, ante nudos turpiter,
  Ovare veſtibus facit.
Spinis acutis vepribuſque tempora
  Innexa, dilectis Dei

 Dia-

Diadema ſpondent regium, mortalibus
  Fulgore ſceptris praenitens.
Tendique, praebens membra tortori, ſinit,
  Quo vena, quo nervi tremant
Crepentque, coctus ut ſuos ad ſe trahat
  Humo levatos in polum.
Pedes retenti tot trabalibus cruci
  Clavis adactis, ſat docent,
Numquam daturum terga deformi fugae,
  Dum perlitaverit Patri.
Et plaga cordis, horridum lateque hians,
  Rupto inſtar amnis aggere,
Undas profundit gratiae, poſtquam latus
  Crudelis hauſit lancea.
Tum, quot fideles degimus teſtes crucis,
  Non uſitata gaudia
Coeleſtis experimur indulgentiae:
  Tum mella flava cogimus
Ac pingue olivum caute de duriſſima.
  Tum ſicut examen frequens
Apum, volamus ad beata culmina,
  Ut os per illud pallidum,
Pectuſque ſaeva ſauciatum fraxino,
  Sanemus aegrum ſpiritum.
At quo moramur? ire quid nos impedit?
  His balſamum rimis fluens
Quum proſit ipſi perduellium agmini,
  Plutonis adflato face.
Quid? non ſacerdos ille pro nobis Deum
  Rogaret, adſidens Patris

Dex-

Dextrae verendi? pro ſcelesto ſupplicat
  Furentis en turbae globo.
Qui, figere ipſum ceu cruci parum foret,
  Latronibus cingit latus,
Illum ſiniſtra collocans, hunc dextera.
  Qui polluiſſe nec ſacras
Solymae reformidavit arces, nec ſui
  Mutare delubrum Dei
In turpium crudele praedonum ſpecus.
  Verum rapinis, caedibus,
Infame culmen antea Calvarium,
  Convertit uſus ad pios
Ieſus, & precum aptat in caſtam domum.
  Hic ſicut orator potens
Dium tribunal ad ſeveri judicis
  Delicta noſtra diluit.
Vel ipſe ſummi munus implens arbitri
  Abſolvit extemplo reum,
Iniqua, foeda, dira condonans ſimul:
  Coelique ſtellatam domum
Recludit illi, qui tenebroſa Styge
  Luenda perpetraverat.
Servator orbis, luce qui fruens adît
  Coenas easdem fontibus,
Majora pronae ſigna mentis ultima
  In mortis hora praebuit,
Iſtoque cariora pane, tam diu
  Qui paverat preſſos fame
In aridis lociſque deſertis; ſui
  Dans ipſe carnem corporis

Animis egenis in dapem lautiſſimam;
  Raptiſque ſecum in aethera
Novo propinans plena muſto pocula
  Saporis haud narrabilis.
At tu ferocis ſeculi ferocior
  Tyranne, nunc ſummo Deo
Victus dediſſe viſus es demum manus.
  Animi quid autem vel tibi,
Vel inferorum quid fuit ſatellitum
  Turbae rebelli? cernitis
Ubi e ſepulcris mortuos eſcendere
  Jubente ſemimortuo:
Orci nocentem fauce praeripi reum
  Sententia inſontis rei:
Repente caecis e cavernis Golgothae,
  Velut patente ex oſtio
Erebi recluſi, tanta poſt diſcrimina,
  Prodire Abrami liberos:
In prata coeli quîs renidentis, fide
  Abramica nixis duce,
Ingreſſus ante contigit, ſol aequore
  Quam mergeret ſerum jubar.
Quid? quando fracti, & impares certamine,
  Vidiſtis, ut natus Dei,
Sputo inquinatus ora turpi, livida
  Loris peruſtus corpora,
Sanguine fere defectus atque ſpiritu,
  Sectus probris, & arbore
Pendens, ſceleſto cuilibet ludibrium,
  Ut ſic Deo natus tamen

Fle-

Fletus ſupremos, frigidumque corporis
  Sub morte rorem, atque halitus
Noviſſimos, noviſſimumque ſanguinem
  Impendat haud quaquam irritus
Populo ſuo; ſpoſpondit olim quem Pater
  Ipſi, & dicavit proprium,
Quum luna nondum, nec vagae noctis faces,
  Coelove ſol ſplendeſcerent.
Qui nemini numerandus, & longiſſimas
  Diſperſus orbis per plagas,
Tamen cohaeret, jungiturque artiſſime,
  Mentes ligante ſpiritu,
A quo nec in laboribus nec otio
  Unquam relinqui cernitur.
Populus, negantem ferre ſe mundum ſua
  Patientia qui ſubjugat:
Nequit nefanda quem libido vincere
  Nec vi, nec ullis artibus.
Cui nulla res eſt viſa glorioſior
  Quam mors Redemtoris ſui:
Beatitudo ſumma cui Chriſti crucem eſt
  Noviſſe, quo decet modo.
Hac erudiri concupiſcens, unicam
  Scientiam hanc pronuntiat,
Seſeque dignam, & maximis laboribus.
  Invicta gens, gens aerea,
Molitiones invidorum per malas,
  Per damna, per ludibria,
Penuriamque, quae ſuëvit creſcere:
  Nec preſſa grandi pondere

Fatiſcit unquam, palma ſed ceu nobilis,
  Omnes ruentis aetheris
Temnens procellas, altius tollit caput,
  Nec compedes, nec verbera
Exhorret, enſes aut minaces cuſpide,
  Ipſiſque flammis paſcitur.
Nec iſta perfert Stoica arrogantia,
  Caecive ducta pectoris
Audacia, ſed pertinax defendere
  Cruce ſigna pendentis ducis:
Adhuc fidelem carne qui turmam ſua,
  Suoque paſcit ſanguine:
Verboque ſemper, & potente ſpiritu
  Tutatur, & fiduciam
Animoſque dat quocumque majores metu,
  Ac commoveri neſcios,
Voce aut tyranni blandientis illice,
  Inſtantis aut vultu truci;
Mortis dolores, atque vitae commoda
  Aeque paratos ſpernere,
Nec quae tulere, nec ferenda poſtmodo
  Curare quid pericula:
Tantum beatos, opperiri dum vacant
  Laboris exitus ſui,
Extrema vitae meta donec lubricae,
  Fatalis aut mundi dies
Omnes Ieſu jungat arta copula,
  Eſt ipſe junctus ut Deo.
Hoc plus ſed Orci fervet indignatio,
  Rudenſque & hiſcens horridum

Vo-

Vomit coruſca mixta flamma ſulphura
  In nos apertis faucibus.
Deſponſa coeli virgo facta eſt ut parens,
  Enixa prolem maſculam,
Illam cruentus perſequi non deſtitit
  Paludis inferae Draco,
Verrens ſed orbes torquet immenſos humum,
  Linguaſque ſibilans vibrat,
Depaſcere ardens morſibus dudum feris
  Artus trementes avio
Errantis in ſaltu, & ſibi, & magis ſuo
  Partu timentis foeminae.
Torvis Megaera cum ſororibus licet
  Nobis echidnas ſubrigat,
Furens furentes; triplicique Cerberus
  Latret tremendum gutture;
Eructet atris & Chimaera rictibus
  Phlegethontis undas ignei,
Ut pulſa rupes fluctibus fruſtra maris,
  Stat noſtra mens immobilis.
Deproelientur hinc & hinc quamvis fera
  Venti procella conciti,
Fundoque ab imo mota tollant aequora,
  Spumetque coelum adſpergine,
Te te, Redemtor, qui, Styge ut nos liberes,
  Vitae fuiſti prodigus,
Certum eſt ſequi per dura terrae, per maris:
  Quamcumque ſortem juſſeris,
Quaecumque bella, vel labores, in tuae
  Subibimus ſpem gratiae.

Nam, ſigna dum ſol fixa permeat poli,
Jubente cedent numine
Per ora fida praedicandae in poſterum
Ubique gentium cruci
Tumultuantis Tartari molimina.
Simul atque vocem tinnulam
Clangens Olympo ſuſtulit crucis tuba,
Immanis ille Cerberus,
Caudam pudenda contrahens formidine,
In infimam fugit Styga:
Transvectus aſtra noſter Heros at ſubit
Jubar ad inacceſſum Dei,
Caputque multa luce vallatus micat
Inter chororum tot faces
Coeleſtium, minora mille & lumina,
Quibus hinc & hinc circumdatur.
Ubi per interrupta gaudia caſibus
Nullis perenne nobilis
Decus triumphi immenſa vis teſtudinum,
Et entheae voces canunt.
Ut jubilum hoc per omne coelum volvitur!
Vaſta ut reſultant atria!
Laetas choreas mutuis ut nexibus
Ducunt beati coelites!
Ut ſerta numquam laureae marcentia
Victricibus plectunt comis!
Ut ipſe cunctis eminet, Titan velut
Praeſtringit ortus ſidera!
Mox unde puncto qui redibit temporis,
Praedulce mentibus piis

So-

Solamen, at nefario gregi metum
  Laturus & formidinem.
Jam non ab orno triſte dependens onus,
  Sed nube ſublimi ſedens,
Ac, quot viguerint, quot vigebunt, aut vigent
  Cunctis videndus gentibus:
Nullo latrone ſeptus, at ſatellite
  Juvenum phalange praepetum.
Non ad tribunal judicis tractus, ſuum
  Sitientis uſque ſanguinem,
At ipſe rex, cenſorque de vivis ferens
  Et mórtuis ſententiam.
Optabilem ſalutis illuceſcere
  Tum cernimus laeti diem,
Tum ſuſtinemus colla, depulſo metu,
  Erecta coelo tendere.
At impiorum quidquid in cubilia
  Fugit ferarum, vel cavae
Rupis receſſus. Tum ſceleſta natio
  Agnoſcit ipſum, ſpiculo
Cujus latus peregit, & lumen pavet
  Ira flagrantis flammeum.
Quid hora pulcra tardat haec? ceſſat mali
  Cur iſta liberatio?
Ageſis, Ieſu, cuncta jam jam finiens,
  Veni, precor, veni ocyus.
Explendus at labore quia noſtro eſt tuus,
  Dum degimus vitam, labor,
Beata donec fulgeat coelo dies,
  Tu, quaeſo, tu coetus tuos,

Gra-

Gravi gementes ſub malorum pondere,
Ne derelinque, ſed novo,
In hac palaeſtra flebili, ſemper velis
Firmare mentes robore.
O! inſtet agnus, in cruce exſpirans modo,
Victoriae viam ſuae,
Et copias profliget omnes hoſtium,
Ac ſaeva contra ſpicula
Nobis ſit inſtar aegidis ſeptemplicis,
Aëneaeque caſſidae.
Fletu dolores ejus & curas graves
Penſare diſcamus pio.
Piaculari qualis haeſit in trabe,
Stet cordibus depingere.
Haec, haec imago ſculpta mente, pectore,
In ultimos perſtet rogos.
Amoris haec incomparabilis tui
Meminiſſe cogat jugiter:
Amoris, actus quo ſupremum reddere
Non denegaſti ſpiritum;
Qui ſiderum te cum ſepulcrali ſpecu
Mutare perpulit domos.
Hic noſtra, quaeſo, conflagrare pectora
Pari viciſſim det face.
Vixiſſe flammis ſemper iſtis ut juvet,
Iſtiſque flammis emori.
Cunctis Ieſus ſpiret unus ſenſibus,
Noſtros & adfectus regat.
Magis magiſque ſentiat Chriſti nece
Immunda ſe mori caro.

Pravas, ſimul vitale lumen hauſimus,
  Cupiditates inſitas,
Non deſinunt vexare quae mentem piam,
  Radicitus crux eruat.
Rex ille regum ſaxit & ratum mei
  Votum ſupremum carminis,
Ut, perdomantes cordis arrogantiam
  Ac contumaces ſpiritus,
In cereis fidiſque doctrinam crucis
  Servemus omnem mentibus.
Haeſiſſe ſic nos crederemur optime
  Cum Chriſto eodem ſtipite:
Extremus ipſi ſolveretur ſic honor
  Et juſta per nos debita.
Puris Ieſum dexteris demtum cruce,
  Buſto decente ſic novi
Caſtique tandem poneremus pectoris,
  Quod dignitate vinceret
Exciſa nuper vel ſepulcra marmore,
  Tenuiſſimam vel carbaſum,
Carumve quidquid cura Joſephi pia
  Aut Nicodemi contulit.

II.

II.

ECLOGA:

TITYRUS, CORYDON & MENALCAS.

Tityrus & Corydon placidi prope fluminis undam
Populea pariter coierunt forte ſub umbra;
Ambo defeſſi, vitantes ambo calorem,
Paſtores ambo, atque ambo cantare parati,
Ille Hiemem, laeti laudare hic commoda Veris.
Tityrus hinc coepit: partes nam forte canendi
Contigerant primae: Corydoni, forte ſecundae.
Tit: Jupiter exegit per tempora quatuor annum:
Per Ver, Aeſtatem, Autumnum, Brumamque nivalem.
Sed tamen a puero duo jam magis inde placebant,
Aeſtas, aeſtatique affinia tempora Veris;
Cor: Nos e temporibus, ſecuit quîs Jupiter annum,
Non breve Ver adeo potuit, Aeſtasve juvare,
Quam genialis Hiems, canis adoperta pruinis,
Autumnuſque caput praecinctus meſſibus almum.
Tit: O veſtras utinam poſſem bene dicere laudes,
Inceptiſque meis bonus adſpiraret Apollo.
Cetera nam tantum ſuperatis tempora, quantum
Vel roſa vera, roſam quae naſcitur inter ariſtas.
Cor: Non, mihi ſi calamos tradat Pan ipſe canoros,
Ex meritis poſſem veſtros extollere honores.
Cetera nam tantum fas cedere tempora vobis,
Quantum maturis pyra fas eſt cedere cruda.

Tit:

Tit: Vere novo Boreaſque fugit frigusque remittit,
Et molles Zephyri ſibi debita regna receptant.
Tunc aër mitis, tunc omnis parturit arbos,
Parturit omnis ager, tunc florentiſſimus annus.
Cor: Deſit ut Autumnus, deerunt ſimul omnia, namque
Tunc pyra, caſtaneaeque nuces, tunc poma leguntur
Mitia, multa tumet gravidis tunc uva racemis,
Plenaque maturae ſegetes tunc horrea rumpunt.
Tit: Vere novo mediis ludunt Delphines in undis,
Septa pecus, paſtorque focos inviſa relinquunt,
Perque novam frondem volucres audire canentes
Silvicolae gaudent Satyri, Dryadeſque puellae.
Cor: Autumnus nimiis paſtores ſolibus uſtos,
Et recreat pecus omne; Autumni tempore rurſus
Dulce ſonant volucres mutae fervoribus ante,
Nec metuens ſolem Delphin caput exerit unda.
Tit: Vere novo faciles ducit Cytherea choreas,
Nympharum & lepida Charitum comitante caterva.
Vere novo blandis paſtores carmina Muſis
Et Phoebo cantamus; amat tunc carmina Phoebus.
Cor: Non minus Autumni formoſo tempore laetos
Exercent Pomona choros, cuſtoſque Priapus.
Non minus intonſi tunc & genialia Bacchi
Orgia nos cantamus; amat tunc haec quoque Bacchus.
Tit: At ſol aeſtivas ſi incenderit acrior horas,
Quam juvat Aurora primo ſub mane rubente,
Avia paſcendas agere ad dumeta capellas,
In campumque agnas etiamnum rore madentem.
Cor: Verum quum Brumae redierunt tempora, ſaltus
Non opus eſt longe, longe vel quaerere fontes:

Pin-

Pinguibus in ſtabulis facilis labor omnia praebet,
Et laticem, & frondes veſcas, foenique maniplos.
Tit: Quid quum jam medius languentes ducere ad undas
Sol ſuadet pecudes: nunc molli in gramine lenem
Proſtrati ad fontem, ſomnos captamus inertes:
Nunc gelidis antris imitamur Pana canendo.
Cor: Nos celeres ſequimur lepores, nos figimus apros,
Et dulcem praedam venamur montibus altis.
Si fuerit glacies, ferrati vincla cothurni
Nectentes pedibus, rapidos praevertimur Euros.
Tit: Quid ſi tunc poſita Lyde non abnuat ira
Nobiſcum aut antro, aut multa recubare ſub umbra,
Non mage curamus ſolem, ſoliſque calorem,
Quam rigidae curant undarum verbera cautes.
Cor: Quid mecum quoque ſi ſtructos ſuccedere ad ignes
Non dubitare velit, perii quam ſemper, Eliſſa,
Frigora nos ſic curamus Boreanque ſonorum,
Ut generoſus equus latrantem multa Lyciſcam.
Talia dum certant, canum jam menta Menalcan
Abdiderant ſalices, veritum turbare canentes.
Proſiliens tandem pueros adfatur amice.
Men. Non me muſta recens lacubus manantia plenis,
Non ſic mella juvant Hyblaeis condita ceris,
Quanta me alternum juvit dulcedine carmen.
Quare ſume pedum, torno quod, Tityre, factum
Dixerit Alcimedon: paribus ſpectabile nodis,
Aerataque nitens en cuſpide. Tu cape peram
Conſutam, Corydon, nuper de pelle caprina:
Quam necdum tetigit panis vel caſeus unquam.
Parcite dia tamen, pueri, Jovis illius acta

Exi-

Exigere ad veſtrae paganica pondera librae.
Omnia facta Deûm nam ſunt bona & omnia ſancta.
Ver, Aeſtas, Autumnus, Hiems vice quaeque recurrens
Uberiore beant mortalem munere vitam.
Interea prono conſurgens Veſper Olympo
Pendentes pueros blandi ſenis ore ſubegit
Vix repetiſſe gregem, peraque pedoque ſuperbos.

III.

Ex

ANTHOLOGIAE

Libri Primi

Capite Ultimo.

EN pigra ventoſo diſceſſit ab aethere bruma,
Blandaque purpurei riſerunt tempora veris.
Pulcra vireſcenti veſtitur gramine tellus,
Et rediviva novis pubeſcit ſilva capillis.
Omnis ager ridet, lacrimas dum rorat ab axe
Memnonis alma parens, panduntque roſaria flores.
Dulce ſonat calamo pendens de monte bubulcus,
Duxque ovium teneris gaudet ludentibus hoedis.
Navita placatas perlabitur aequoris undas,
Nullà pericla timens, Zephyrus dum carbaſa tendit.
Euoe thyrſigero clamant, iterantque Lyaeo
Turba corymbiferis frontem praecincta corollis.

Florilegis apibus jam ſingere daedala tecta
Eſt curae, invigilantque domus per ſepta labori,
Stipaturque novo ſexangula nectare cera.
Alituumque canora cohors ciet undique cantus:
Alcyones pelagus, Procne tigna alta domorum,
Flumina blandus olor, virgulta celebrat Aëdon.
Quod ſi ſilva comis, & gaudent floribus arva;
Sauve canit paſtor, luditque capella per herbas;
Aequore nauta volat, choreaſque inducit Iacchus;
Dant volucres cantus, & apis mel ſedula fundit;
Quomodo vere novo non cantet dulce poëta!

IV.

Ad juvenem praeſtantiſſimum atque adfinem

JEREMIAM VAN DER MEER,

Quum J. U. Doctor pronunciaretur.

QUum tu pars juvenum ſplendida principum,
Quos urbis patriae ſpem fovet Amſtela,
Leidanae peteres moenia Pallados
Fauſto, Meriade, pede:

I, dixi, Aonidum quo rapit impetus.
Votis ipſe bonis Jupiter adnuens,
Praecinctum referet poſt ſpatium breve
Lauru tempora Delphica.

Fal-

Fallorne? an meritis auctus honoribus
Jam fulges, decus & contribuit tibi,
Olim ſepoſitum rite colentibus,
Virgo Juſtitiae potens?

Sic eſt. ſidereas feſta ferit plagas
Te myſtam Themidos vox iterantium.
Nec vanum augurii me probat haec dies,
Qua victor remeas domum.

Exempla at juvenum nunc cave noxia,
Quorum proh! Superi! ſpiſſa nimis cohors
Infectat patriam, dedecorantium
Fulgentes proavis domos.

Praerepta Themidos non bene laurea,
Molli dulce putant diffluere otio
Curarum immemores. at magis in dies
Virtus deficiens fugit;

Ac deſideriis corda ſemel malis
Polluta improbius mox ſcelus inquinat.
Hinc nullus patriam frangere rem vetat
Damnoſa pudor alea:

Hinc vino madidos ſol oriens videt,
Seruſque & medius: luſtrave obambulant,
Nuptarum aut, vetitum lege, cubilia
Inceſto pede adulterant.

Sed dux ut ſapiens, fudit ubi hoſtium
Robur, non reſidet, ſed fugientium

Turmas inſequitur, trajiciens vaga
Forti flumina milite:

Nunc caſtella rapit vi, remorantia
Victrices aquilas, ſulphure nunc tonans
Tormentis gravidis, aërias ſolo
Moles dejicit urbium.

Tu veſtigia ſic lucida perprime
Heroum veterum, turpis inertiae
Vitans illecebras, atque iter arduum
Laudis currere pervicax.

Sin exempla ſequi forte domeſtica
Mavis, Eliadem reſpice avunculum,
Virtutis rigidae pulvere ſordidum
Pulcro, cujus in auribus

Arcana Amſtelii tuta fidelibus
Deponunt proceres. vel magis, ut decet
Natum haud degenerem, facta imitabere
Prudens magnanimi patris:

Coetu nobilium quem modo judicum
Mirata eſt toties curia praeſidem,
Cives jus quoties inter & hoſpites
Aequo examine reddidit.

Nuper pro meritis cui dedit Amſtela
Sedem conſpicuam concilio in patrum:
Mox, non vana monet Calliope, volens
Majus contulerit decus.

V.

V.

A D

FRANCISCUM OUDENDORPIUM,

Quum leporem dono miſiſſet.

FRanci candide, mî venuſte Franci,
Sic, o, ſic Charites Facetiaeque,
Atque omnes pariter te ament Lepores,
Ut nobis modo, care, delicatum
Miſiſti leporem atque mollicellum:
Quo nil ſuavius elegantiuſque,
Nil lautum magis, aut magis ſaporum
Praeberi potuit meo palato,
Aut noſtrûm ſimul hoſpitum palatis:
Sane nec ſtupidis nec inficetis,
Sed, forte excipere hinc meum licebit,
Judicare catis & eruditis,
Si quid dapſiliore de ferina
Ad gulas faciens Apicianas,
Silva miſerit haec vel illa menſis.
Verum o inſula fortium Batavûm;
Tam caram patet eſſe te Dianae,
Cara quam Cereri diu fuiſti,
Quae nutris lepores ſolo feraci
Carnoſos adeo atque ſucculentos,
Ut quotquot lepores opima Tellus
Campis pinguibus, aſperis rubetis,

Silvis nigricomis, jugis apricis,
Nunc alitque aluitque aletque quondam,
Omnium merito atque ſingulorum
Hos dicas leporum eſſe primipilos.
Franci candide, mî venuſte Franci,
Quam tu nos epulis beas opimis,
Et dum nos epulis beas opimis,
Quot riſus ſimul & jocos miniſtras!
Nam tuae memores benignitatis,
Ut menſas poſuit puer ſecundas,
Poſcentes cyathum capaciorem,
Spumantemque Deo meraciore,
Hauſimus cyathum capaciorem,
Spumantemque Deo meraciore,
Uno funditus impigri tenore:
Clamantes, bene ter ſit o quaterque
Optimae dapis optimo datori:
Optimo genio optimi ſodalis.
Franci candide, mî venuſte Franci,
At pro munere quid tibi rependam,
Iſto tam lepido & pereleganti!
Noſtros verſiculos tibi rependam,
Quamvis nec lepidos nec elegantes,
Dum rebus nequeam referre grates
Ex aequo lepidas & elegantes.

VI.

VI.

Ad Puerum

Viro Reverendo

ROELANDO VAN THIEL

recens natum.

CReſce, puer, carumque, precor, virtute parentem
 Aeques, Thiliacam perpetueſque domum.
Ipſe tamen prudens exempla cavebis in uno,
 Cetera laudati, prava referre Patris.
Viſere nam veteres ſemper promittit amicos,
 Sed ſervare datam negligit uſque fidem.

VII.

FABULA


Ad Fratrem

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

NOcere virtuti obſtrepentium cohors
Fruſtra ut laboret, fabula haec, Frater, docet.

Fortis Lyciſca, & genere multum nobilis,
Spectata herilis villulae cuſtodia,

Aliquando ſtrata per viarum publica,
Comitata catulo, obambulans, ibat ſuo.
Statim protervae, ac nobiles parum, canes
Huc confluebant, plurimum latratibus
Viam replentes, ac laceſſentes probris.
Tum catulus, has male contumelias ferens,
His ad parentem fertur uſus vocibus.
Tu quin in iſtas fortiter jam jam irruis,
Ac lacera ſpargens membra dudum diſſipas!
Cui mater: at ſine, inquit; hi faciunt enim,
Ubique tantum cur Lyciſca praedicer.



O P-

ADOPTIVORUM LIBER,

SIVE

CARMINUM

PETRO D'ORVILLE

INSCRIPTORUM.

I.

AMICO INTEGERRIMO

PETRO D'ORVILLE.

NAtalem celebrare tuum me carmine poſcis,
Et bona tam fauſto dicere verba die.
Poſcis, ut annoſi dulciſſima pocula Bacchi
Ex animo pellant triſtia quaeque meo.
Poſcis, odoratis redimitus tempora ſertis,
Ut dem turicremis debita dona focis.
Nulla mora eſt, juſſis ultro paremus, & ultro
Natali cupimus ſolvere vota tuo.
Scilicet haec lux eſt, qua te, cariſſime rerum,
Enixa eſt utero mater amata ſuo.
Qua te blanda Charis tenerum complexa lacertis,
Edocuit riſus, edocuitque jocos;

Quaque tibi Phoebus, turba comitante Sororum,
  Fronte ſerenata proſpera ſigna dedit.
Ille tibi viridi ſua ſacra recluſit in aevo,
  Et fore te cecinit tempus in omne ſuum.
Hinc, quos vulgus amat, nunquam ſectaris honores,
  Nec tibi ſollicito pectore quaeris opes.
Sed colis Aonias, tibi numina magna, Puellas,
  Fundis & argutis carmina culta modis.
Divitiis alius famam ſibi creſcere gaudet,
  Tu docto verſu nomen habere cupis.
Gloria perpetua eſt, ſibi quam doctrina paravit,
  Quaecunque ex opibus quaeritur, iſta perit.
Sed mihi jam videor gratantes cernere amicos,
  Qui tibi ſincera munera mente ferunt;
Felicemque tibi natalem rite precati
  Accumbunt menſis, candide Petre, tuis.
Hei mihi! cur ſociis ego non numerabor in iſtis!
  Hei mihi! cur me non terra paterna capit!
Amſtela nunc utinam me, vel te Leida teneret,
  Amſtela tam nobis, quam tibi Leida placet.
Tunc agerem laetas pede luxuriante choreas,
  Et facerem blandis gaudia longa jocis.
Tunc hilari certare mero me ſaepe juvaret,
  Purpureaſque comis impoſuiſſe roſas.
Tunc ego perfuſus rorantia tempora nardo
  In laudes irem, blande Poëta, tuas.
Tunc agilis, gratuſque forem, tunc plena leporis
  Carmina dictaret docta Thalia mihi.
Tunc tua feſtivo reſonarent atria cantu,
  Laetitiam nobis eliciente Deo.

Sed

Sed quoniam cupidis te cingere non licet ulnis,
Hos elegos pro me pignus amoris habe.
Sic facilis ſit Muſa tibi, ſic pulcer Apollo
Adſpiret votis, dulcis Amice, tuis.
Sic tibi carminibus ſurgat nova gloria, ſic te
Ducere dent placidos candida fata dies.

DANIEL SIMON SIBERSMA.

II.

JAC. PHIL. D'ORVILLE
EPISTOLA
AD FRATREM CARISSIMUM
PETRUM D'ORVILLE.

VAde bonis avibus Fratri, mea Muſa, ſalutem
Dicere: nam domino non licet ire tuo.
Fallor, an invitis penetralia noſtra relinquis
Paſſibus, & tacto limine ſaepe redis?
Dura tamen glacies jam non laeſura meantem:
Non nix te rapidis obruet acta Notis.
Nam, modo quae fuerat cryſtallo vincta rigenti,
Divite merce graves jam vehit unda rates.
Hibernaeque nives, liquefactae ſidere Phoebi,
Impellunt lymphis flumina prona ſuis.

Eque

Eque peregrinis allapſa ciconia terris
  Veris odoriferi proſpera ſigna dedit.
Nec te trans Alpem longinquas tendere ad urbes,
  Nec jubeo auriferi Gangis adire ſinus.
Non inteſtinis concuſſa Britannia bellis,
  Vadere quo timeas jure, petenda tibi eſt.
Haud procul hinc noſtrae jacet urbs contermina Leidae,
  Quae ſua ab Amſteliis nomina duxit aquis.
Hinc a gramineo circumdatur undique rure;
  Tunditur hinc undis, Ya ſonore, tuis.
Dives opum: celebris per latum mercibus orbem:
  Nam caducifero ſemper amata Deo.
Haec adeunda tibi. cur greſſum, Muſa, retorques?
  Ire potes tute: nec tibi longa via eſt.
Carpe iter, ut medias Titan contraxerit umbras:
  Contigeris juſſum, ſole cadente, locum.
Quoque minus metuas, haec eſt mihi patria tellus.
  Vidi hic Phoebeae lumina prima facis.
Forte times, nullus ne dicat, qua ſit eundum,
  Incertoque erres hoſpita in urbe pede.
Pone metum: portas ſimulac penetraveris urbis,
  Magnus erit numerus, qui tibi monſtret iter.
Tu modo, qui placeat, de turba ſelige quendam:
  Certus in ambigua dux erit ille via.
Laeva tot oſtendet poſitas longo ordine naves:
  Grajugenis Helene quot repetita fuit.
Ad dextram cernes ſublimia ſurgere tecta:
  Regibus hoſpitii eſt principibuſque locus.
Inde tenore pari mediam duceris in urbem,
  Qua ſociant undas Amſtela & Ya ſuas.

Huc

Huc ubi pervenias, ſtupefactae curia ſeſe
  Ingeret, abſcondens nubibus alta caput.
Hanc merito dices inter miracla reponi,
  Graecia quae jactat, quaeque Canopus habet.
Non procul hinc aedis celſas ſe tollit in auras:
  Hanc dic ſilvicolae templa ſuperba Deae.
Atria mox cernes Atlantis ſacra nepoti:
  Non alio colitur ſanctius ille loco.
Hic mercator opes mundi permutat: emitque
  Quidquid habent ortus occiduaeve plagae.
Sed propera: nec te palatia celſa morentur,
  Vel trahat illecebris quaeque plataea novis.
Qua pons per ſectas rivis labentibus oras
  Plurimus innixum fornice ſternit iter;
Et tiliae viridans media nemus urbe miniſtrant,
  Atque umbris gelidas ſole calente vias.
Quaque ſuperbarum ſeries bis trina domorum
  Exſerit arboreis culmina celſa comis.
Tu Babylon, tu Roma tace. nec Palladis arces
  Jactent Theſeae brachia longa viae.
Nil habuit par priſcus, habet nil par novus orbis;
  Longinquis veniens finibus, hoſpes ait.
Verum perge domum Fratris, mandataque perfer;
  Non hic ſpectatrix deſidioſa venis.
Hunc aut inter ephemeridas tabulaſque videbis
  Curantem patriae ne minuantur opes:
Caſtalioſve inter cernes, ſua ſacra, libellos,
  Nectare qui Grajo Romuleoque madent.
Forſan Ariſtophanis luſtret cata dicta jocoſque,
  Quîs ſecuit populum, Cecropi terra, tuum.

Atto-

Attonituſve legat Peligni carmina vatis:
  Os cui par Grajis ingeniumque datum eſt.
Anne elegis teneri capitur magis ille Tibulli?
  Cujus ab ingenuo vena lepore fluit.
Ipſe vel accenſus, qui vates incitat, igne,
  Cantet amabilibus carmina docta modis.
Nam quamvis Maja veneretur Atlantide natum,
  Non negat Aonidum debita tura choro.
Munera Mercurio ſua ſunt; ſua munera Muſis:
  Quam colit ille Deum, tam colit ille Deas.
Cumque illis idem generis ſit Jupiter auctor,
  Quid coluiſſe vetat numina bina ſimul?
Denique quidquid agat, confeſtim cuncta relinquet,
  Adventum ſimul ac noverit ille tuum.
Obvius occurret venienti, teque fovebit
  Amplexu, tectis excipietque ſuis.
Nec mora, cauſſa viae, quae ſit, valeamne, requiret,
  Et quibus in ſtudiis tempora noſtra teram.
Me, dices, illi per te miſiſſe ſalutem,
  Quam modo laturus, ſi licuiſſet, eram.
Membraque cara domus parili donare ſalute
  Ne noſtro renuat nomine, blanda roga.
Vivere mox addes vacuum curaque metuque:
  Laetum inter libros Pieridaſque meas.
Me modo mirari numeros ſublimis Homeri:
  Me modo Battiadae combibere aure ſonos.
Hellade luſtrata Latias me tendere ad oras,
  Et celebres Claria viſere ab arte viros.
Cumque tot illuſtres produxit Roma poëtas,
  Quîs Aganippeo fonte levata ſitis,

An-

Ante tamen cunctos, mira dulcedine cantus,
Naſonem ſenſus vincere poſſe meos.
Me quoque narrabis veteres ſub pectore flammas
Senſiſſe, inque artes me rediiſſe bonas:
Tempore ſed tanto deſuetum condere verſus
Verba aegre numeris cogere poſſe ſuis.
Non tamen ut carmen ſtudium ſit inutile viſum,
Murmur & audierim, turba profana, tuum.
Semper enim colui Divas, Helicone morantes,
Ac dum membra regat ſpiritus iſta, colam.
Phoebus, Caſtalides, & vatis amabile nomen,
Numquam animo fuerint non venerata meo.
Teſtis es ipſa mihi, quoties componere carmen
Tentantem curae diſtinuere graves.
Teſtis es ipſa mihi, quam ſaepe negotia denſa
Nunc etiam coeptos praepediere modos.
Dum trahar antiqui modo ad incunabula mundi,
Barbarieſque recens taedia multa creet;
Aut modo ſolliciter Judaeam noſcere linguam,
Vel quam Perſa vetus, quamve locutus Arabs;
Aut modo, ſi detur mortali ſcire, requiram,
Fecerit hunc mundum qua ratione Deus.
Ipſe ſed Aonidas venerari, hortabere, pergat:
Quamvis hortatu non eget ille tuo.
Utque mihi crebro genialia carmina mittat:
Carmina fraterni pignus amoris erunt:
Carmina erunt teſtes non eſſe oblivia noſtri:
Carmina carminibus cauſſa futura meis.
I nunc felici, quo mitteris, omine, Muſa,
Utque decet, domini juſſa capeſſe tui.

III.

III.

AD

CARISSIMUM AMICUM

PETRUM D'ORVILLE.

HOc tibi, Belgiadum vatum ſpes maxima, carmen
  Mittitur a ſocio, candide Petre, tuo.
Perlege, ſi tanti eſt: fidum teſtatur amorem,
  Nec me Caſtalias deſeruiſſe Deas.
Eſt qui divitias, eſt qui ſibi quaerit honores:
  Conveniunt votis ille nec ille meis.
Mollis & inſigni ſpectanda Elegeïa cultu
  Me juvat: hac ſola dote placere velim.
Divitiae pereunt, poſſeſſoremque relinquunt,
  Non pereunt longo carmina docta die.
Haec animum mulcent, iſtis comes anxia cura eſt;
  I nunc, cum dulci carmine confer opes.
Eſt tamen heu! aliquis, quem jam pudet eſſe poëtam.
  Dii faciant, voto munera digna ferat.
At tibi, cui longe melior ſententia menti,
  Dent faciles Muſae pangere poſſe modos.
Tu modo dilectas fidus cole, Petre, Sórores,
  Jam Clarius laurum porrigit ecce Deus.
Applaudit jam turba tibi dulciſſima vatum,
  Jamque comis properat florea ſerta tuis.

DANIEL SIMON SIBERSMA.

IV.

IV.

Amico Cariſſimo

PETRO DORVILLIO.

QUid toties rigidus mea, Petre, ſilentia damnas?
  Cenſeor & cur, te judice, deſes ego?
Ergo ego ſum torpens, ego ſum tibi tardus inerſque?
  Mentiar, haec ſi ſunt crimina amata mihi.
Non mea, ſi qua fides, pingueſcere corpora tanti eſt,
  Segnia nec tanti eſt otia velle ſequi,
Mollitiem ut lentam vacuae ſubrepere menti,
  Ac te me patiar poſſe vocare pigrum.
Scindere parce, precor, duris mea pectora verbis:
  Quae premit immeritum poena, querenda premit.
Vera tamen fateor: nullo de carmine limam
  Audeo judicii poſcere, ut ante, tui.
At temere incuſor doctas odiſſe Sorores:
  Scribo, ſed rapidis carmina danda focis.
Non odi Muſas: Muſae me odere dolentem:
  Divarumque probat Delphicus acta Deus.
Nempe parum ſana credebam mente, quietem
  Otiaque ingenium poſcere parva meum.
Acrior ut redeat renovata in pectora fervor,
  Et vena verſus uberiore fluant.
Sic, ubi fertilibus requies eſt praebita ſulcis,
  Poſt ſata majori foenore reddit ager.

N Quin

Quin mihi, nam recolo, tunc haec quoque verba canebam.
Carmina ab alterna facta quiete juvant.
Dulcius intermiſſus amor delectat amantem,
Faxque magis cupidum cor rediviva fovet.
Venator ſic ſaepe canes, & retia linquit,
Laetius abruptum quo repetatur opus.
Haec & plura mihi: ſed ſum deceptus, & error
Me malus infauſtas ſuaſit inire moras.
Pergere debueram clivoſa per ardua ſemper,
Nec ſub praerupto ſiſtere colle pedem.
Culpa levis Divûm nimirum obnoxia poenae eſt;
Offenſi cauſſam numinis error habet.
Hinc me nunc plectunt Muſae, mea facta peroſae,
Ulteriuſque negant dicere, quo ſit iter.
Nam, meditor quoties aliquod deducere carmen,
Principio curſus vis mea feſſa labat.
Auſus eram nuper felicia Caeſaris arma
Dicere, & invicta fixa tropaea manu;
Innumeraſque urbes, caſtellaque capta canebam,
Barbaricaſque fugas, barbaricaſque neces;
Threïcioſque duces, oneratos brachia vinclis.
Excidit ingenio Caeſar, ut arma, meo.
Tunc ego materiem cauſſatus, poſſe putabam
Talia non vires pondera ferre meas.
Adſumſique elegos, numeris levioribus aptos,
Ad faciles tentans flectere verba modos.
Vix opus incepi: rurſus mens preſſa labore
Protinus in primo deficit aegra loco.
Quid facerem? iratus memini, mea pulpita rupi;
Eſt calamus digitis fractus & ipſe meis.

Jam-

Jamque erat, ut, Muſis totoque Helicone relictis,
Otia coepiſſem deſidiamque ſequi:
Quum gemitus altos, disruptaque verba prementem
Me vidit, vaſto qui volat orbe, Puer.
Nec mora: lunato ponens ſua ſpicula nervo,
Hos blando placidos edidit ore ſonos.
Ne doleas ſemper, lamentaque vana profundas,
Hoc cape, quodque canas, incipe, amator, opus.
Dixit, &, emiſſa tenui ſtridore ſagitta,
Certa ſedent vacuo pectore tela meo.
Nexaque odoratos, gemma radiante, capillos,
Idalia properans riſit ab arce Venus.
Riſit, & ambroſio Dea ſic eſt ore locuta,
Conſolans verbis ſaucia corda ſuis.
Laetus ama, juvenis, forteſque Cupidinis arcus,
Et dominae formam, noſtraque regna cane.
Tunc, tibi ſi laurum perſiſtat Muſa negare,
Imponam capiti myrtea ſerta tuo.
Ter Venus hoc cecinit: adſenſaque numina Pindi
Sunt veniam miſero viſa dediſſe mihi.
Omine laetati teneros meditamur amores,
Coepit & ingenium lenius ire mihi.
Jamque levi faciles naſcuntur pectore verſus,
Et grave de toto corde receſſit onus.

Franciscus Oudendorpius.

V.

Capitibus Cariſſimis

PETRO D'ORVILLE,

FRATRI UNANIMO,

ET

JANO GRAEFLAND,

AMICORUM OPTIMO,

Quum mihi in Britanniam proficiſcenti Propempticon ſcripſiſſent.

QUamvis expediant noſtri jam carbaſa nautae,
  Atque Eurus facilis lintea plena vocet,
Non poſſim blandis non reſpondere camenis,
  Quas, Germane, mihi, quas mihi, Jane, voves,
Vel non officio, mihi quod praeſtatis uterque,
  Ex aliqua gratus reddere parte vicem;
Et parilem parvo teſtari carmine curam,
  Mutuaque affectus prodere ſigna mei.
At mihi nec Muſae, mihi nec dictarit Apollo,
  Verum, qui veſtro carmine ſpirat, Amor,
Quique miniſtravit calamo tot dulcia verba,
  Votaque in aequoreas officioſa vias.
Talis, qui tenuit Pollucem & Caſtora quondam,
  Et qui Pirithoo Theſea junxit, erat;

Ta-

Talis erat, qui fata ſequi te, Niſe, ſodalis,
Et Pyladen ſocio juſſit adeſſe ſuo.
Talis & in noſtro ni flagret pectore flamma,
Veſtra, licet, careant pondere vota ſuo;
Et mihi currenti Triton exaſperet aequor,
Vel caput hoc imis obruat unda vadis.
At mihi ſi non ſit te, Frater, carior alter,
Et te fraterno more, Sodalis, amem,
Tum mihi Cymodoce concuſſas mitiget undas,
Atque humeris portet per vada caeca ratem;
Tum mihi per placidum ludentes cernere pontum
Dorida contingat Nereïdumque choros;
Meque det optatos portus intrare Palaemon,
Et faveat veſtrae rex maris ipſe preci.
Non ego laxabo dubius retinacula prorae;
Nec timidus vaſto gurgite vela dabo.
Tuta futura mihi ſunt caerula: Jane, ſodali,
Et, Frater, fratri parce timere tuo.
Numina nam norunt, quod ſim non falſa locutus,
Atque omni fuco carmina noſtra vacent.
Coeleſteſque ſub hac mihi conditione vocati,
Securam tribuent per freta magna viam.
Scribere plura libet, prohibet ſed ſcribere plura,
Quae ſequitur properas ancora tracta manus.
Ergo, animae dulces, multum ſalvete, putantes
Tempora diſcidii non fore longa mei.

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

VI.

Ad

PETRUM DORVILLIUM.

DUlce ſodalitii membrum, ſpes maxima Pindi,
Telluris Batavae grande future decus;
Ecquid in Amſtelia noſtri non immemor urbe
Degis, & Aonias pergis amare Deas?
Ecquid, ut ingenium facile eſt tibi, pangere verſus
Et gaudes Latiam ſollicitare chelyn?
Me nunc Leida tenet doctae ſacrata Minervae,
Hoſpitium Charitum, Caſtalidumque domus.
Hic mihi, dum varias cupio perdiſcere linguas,
Vix licitum ſacris, Phoebe, vacare tuis.
At tibi, ridenti quem lumine vidit Apollo,
Pieridum choreis invigilare datur.
Et datur, & fas eſt Muſas coluiſſe faventes;
Areaque ingenio magna recluſa tuo.
Roditur intactum nigra rubigine ferrum,
Nec fruges poſito vomere reddit ager.
Fertile & ingenium, nullo exercente, peribit,
Et torpet longa vena benigna mora.
Tempora cum fuerint rebus data juſta paternis,
Deliciis poteris laetus adeſſe tuis.
Hoc rogitant Fraterque tuus, ſociuſque Sibersma,
Ille tibi junctus ſanguine, at ille fide.
Interea hos elegos placato ſuſcipe vultu,
Siſque memor ſocii tempus in omne tui.

Daniel Simon Sibersma.

VII.

VII.

FATRI CARISSIMO

PETRO D'ORVILLE,

J. U. D. titulum gratulato.

CArmine, quo partum nobis grataris honorem,
 Te Permeſſeo fonte bibiſſe negas.
Quod tamen ipſe negas, ajunt tua carmina: plus hic
 Carminibus, Frater, quam tibi, credo tuis.

* * *

VIII.

CArminibus miſſis cur nolim credere, quaeris?
 Non ſunt haec, Frater, carmina ſcripta tibi.
Partim ſcripſerunt, mendacia numina, Muſae;
 Partim fraternus, fallere ſuetus, Amor.

* * *

IX.

OPpreſſis noſtram commendas, Frater, opellam.
 Sic tibi ſunt animi cognita jura mei!
Tempus ad hoc igitur Phœbi pia caſtra ſecutus,
 Nunc inter rabulas aera merere velim,
Et coram indocto vel iniquo judice vocem
 Rixoſo valeam proſtituiſſe foro?
Non ita. Si juſſit fieri me Parca patronum,
 Exulibus Muſis, crede, patronus ero.

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

X.

ELEGIA

Ad Fratrem

PETRUM D'ORVILLE,

In Anglia haerentem.

JAm duodena coit pleno Latonia vultu,
  Atque iterum Cancri brachia ſole rubent,
Oblitum tenuit dum te patriaeque domuſque,
  Lente, peregrinis terra Britanna locis.
At mihi diſcedens, memini, Phoebea priuſquam
  Impleat, ajebas, cornua ſexta ſoror,
Ancora noſtra Moſae rurſus mordebit arenas,
  Jungeturque iterum dextera noſtra tuae.
Spes mea lenta fuit; tandem patientia victa eſt:
  Ulterius renuit noſtra querela moram.
Saepe per Oceani ſpatio vada longa minori
  Navita ad auriferos itque reditque ſinus.
Nec me pollicitis tantum tua lingua fefellit:
  Venit & ad partes litera miſſa mihi.
Litera maturos reditus ſperare jubebat;
  At tecum mendax litera facta tua eſt.
Ah! quoties coelo nubes ventoſque notavi,
  Si foret in curſus utilis aura tuos!
Ah! quoties micuere ſinus, quum flabra tonarent,
  Tu quaſi jam medio gurgite vela dares!

Ah!

Ah! quoties, ſi quis pulſaverat oſtia, Frater,
  Clamavi, meus eſt! nec tamen ille fuit.
Saepius adverſis feci convicia ventis,
  Inque Eurum & Borean aſpera dicta dedi.
Quid, Zephyre, Aeolio, dixi, cunctaris in antro?
  Aëris immenſi libera regna cape.
En nemorum vernos Boreas populatur honores;
  Et ſegetum teneras obterit ille comas.
Tu potius placidis delapſus ab aethere pennis
  Pinguia fecundo flamine rura fove,
Germanique ratem, Florae blandiſſime conjux,
  In Batavos portus tuta per alta vehe.
Audiit & Zephyrus, centumque per aequora puppes
  Attulit, at puppim non tulit ille tuam!
Si tibi cura fuit viſiſſe palatia regum,
  Eductaſque ducum celſa ſub aſtra domos,
Aureaque Oebaliis ſurgentia templa columnis,
  Et quaſcumque alias ſuſpicit hoſpes opes,
Jam licuit dudum luſtraſſe, Britannia quidquid
  Cognoſci dignum conſpicuumque tenet.
Saepe tibi inſolitas corpus languere per auras
  Sum ratus, aut uſtum febre cubare toro.
Quique viatorem ſpoliantque necantque latrones
  Multa mihi magni cauſſa fuere metus.
Interdum Fratrem, quaſi te dimittere nollet,
  Principium longae finximus eſſe morae.
Nuper & eſt noſtris cantatus in aedibus Hymen,
  Germanaeque facem praetulit almus Amor,
Signaque laetitiae, voces ſonuere, lyraeque,
  Perque epulas acta eſt candida rite dies.

At te non Hymen, non connubialia ſacra
  Moverunt patrios, lente, redire lares.
Atque aliquis, mirans abſentem, Forſitan, inquit,
  Ille, peregrina virgine captus, abeſt.
Et juvenis, teneriſque aetas eſt luſibus apta;
  Et facile accendat cor juvenile Venus.
Novimus illecebras, & blandas novimus artes,
  Uſa quibus, capit hic femina cauta virum.
Illic conveniunt juvenes comtaeque puellae,
  Atque aeſtate ſimul rus geniale colunt.
Aut in equis errant villas & compita circum,
  Agmen Amazonidum quale fuiſſe reor:
Aut ubi dant tiliae, ſpatiantur, amabile frigus,
  Aut adeunt, ſi quae ludicra pagus habet.
Suntque aditus faciles, morumque licentia major,
  Et virgo partes paene rogantis agit.
At tibi cum Britonum, dic, quid, fugitive, puellis?
  Externam cupiat non pater ipſe nurum.
Si tibi mens avida eſt ſocialis denique taedae,
  Spiculaque in tenerum pectus adegit Amor,
Amſtela formoſis habitatur mille puellis;
  Materiam flammae praebeat una tuae.
Quo tibi in externis, quod donat patria, quaeras?
  Amſtelio conjux Amſtelis apta viro.
Priamides numquam flagraſſet amore Lacaenae,
  Ilios Argolica non foret uſta face.
Finibus in Pagaſae nuptam legiſſet Iäſon,
  Non fleret ſoceri tecta cremata ſui.
Forſitan & patriae ſubierunt taedia mentem,
  Deliciiſque placet terra Britanna novis:

Et

Et nitidos cultus miraris divitis aulae,
Turbaque ſunt Batavi ruſtica viſa tibi.
Dii meliora velint! alienos nec tibi fines
Natali libeat praepoſuiſſe ſolo.
Et Frater magnum jamdudum explevit amorem:
Non in perpetuum te ſibi pactus erat.
Hoſpita terra tribus de fratribus auferat unum.
Pars major patriae debita jure tuae.
Eia age, quid ceſſas diverſo longius orbe?
Albionis pulſa litora linque mora:
Inque ulnas tandem, dilecte, relabere noſtras,
Et dubia pectus ſpeque metuque leva.
Jam tibi Rhenani ſpumant carcheſia Bacchi,
Et tenera in reditus paſcitur agna tuos.
Tu modo ſolve ratem, veliſque & remige pinum
Pelle per aequoreas ad loca nota vias.
Sic tua dimittat Zephyros in carbaſa ſolos
Aeolus; in ſpecubus cetera turba fremat.
Sic Panope tumidas compeſcat gurgitis iras:
Sic regat ambiguum Caſtor amicus iter.
Sic, ubi in Amſtelia rurſus requieveris acta,
Amplexus ſubeat ſponſa decora tuos.

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

X.

XI.

Viro Ornatiſſimo & Doctiſſimo

PETRO D'ORVILLE,

Quum in Leidenſium Academia ſupremos in utroque Jure honores conſequeretur.

Dicebam, Nil non exempla domeſtica poſſunt,
  At parvam es dictis viſus habere fidem.
Interea dum Mercurii, dum ſacra capeſſis
  Muſica, Caſtaliis pectora plenus aquis,
Frater in eloquio verſatus & arte forenſi
  Legiferae ſequitur jura ſacrata Deae.
Nec mora, praeſentem Divae eſt expertus amorem,
  Et cinxit meritum fronde virente caput.
Senſimus ex illo, quantos conceperis ignes,
  Senſiſti ſtimulos non tuus ipſe novos.
Ipſa Themis dotes agnoſcens pectoris alti,
  Sub ſignis, dixit, militet ille meis.
Protinus ad Leges tua ſeſe induſtria flexit,
  Armaque verboſi fortia, Petre, fori.
Eia age, felici res alite fortiter acta eſt.
  Eia age, ſperata eſt palma relata tibi.
Eia age, te poſcunt trepidorum vota reorum,
  Sunt tibi quos armis conſiliiſque juves.
Sic laudata premes cari veſtigia Fratris,
  Et domui fies altera fama tuae.

Ute-

Utere ſic votis, ſic plauſibus utere noſtris;
  Proſperaque aetatis tempora ſemper age.

DAVID HOOGSTRATANUS.

XII.

Studioſiſſimo & Politiſſimo Juveni

PETRO D'ORVILLE,

a Muſis Themidi initiato

S.

Ecquis enim merito Muſas defraudet honore:
  Et ſtudiis titulos nolit adeſſe ſuos?
Non ita Palladiae laudis velit augur Apollo;
  Non Themis Aoniae ſedis amica comes:
Quaeque ſuam toties doluerunt numina ſortem,
  Dum ſordere nimis templa venuſta vident.
Non tua, Dorvilli, ſic, pulcri ſemine ſenſus
  Mens adſperſa, ſui neſcia ſerpit humi.
Te quamquam a teneris ad cultus arte paterna
  Finxit Atlantiades erudiitque ſuos:
Non tamen abſtraxit penitus molimine; ſed te
  Deliciis Muſae demeruere ſuis.
Non ita te totum, pleno quae depluit auro,
  Mercis inexplendae ſors operoſa tenet;

Quin

Quin tua Muſarum ſe cura levamine laxet,
Quaeſitaſque novis dotibus ornet opes:
Ornat opes, lautamque domum fundamine fulcit,
Quod nequeat vicibus ſors agitare ſuis.
Sic quem Mnemonidae genio ad meliora rapaci
Subductum curis ad ſua ſacra trahunt,
Nunc Themis ad vitae producit jura beatae:
Non quae clamoſo ſit valitura foro;
Sed quae ſeceſſus juvet, exornetque Sororum,
Privatoque ferat commoda certa bono.
Quae tamen inſoliti niſus, mixtique laboris
Haec tanta ad ſtudium nobile cauſſa fuit?
An tua te virtus ad Muſica caſtra ſequacem;
Fratris an exemplum, Petre; an utrumque trahit?
Aemula Pieriae ducit te gloria palmae,
Et Genius, Fratri qui comes, ille Tibi eſt.
Ille per obſtantes nimbos jam luce coruſca
Baccifera in Pindi vertice fronde nitet.
Tu premis aequali paſſu veſtigia, nec te
Diſtinet augendae ſpes male ſuada rei.
Contendiſque alacer geminato pignore vires
Exſerere, & vates inter habere locum.
Perge age: non dubiis effulget meta coronis,
Et favor hic, reſonans plauſibus, omen habet.
Certet honor meritis in carmine, certet amore
Laudis, & in ſegetem poſteritatis eat.
Quae dubitet, nervuſne ſonet animoſior oeſtro,
An venâ numeri candidiore fluant.
Dorvilli Fratres, Latiis decora ampla Camenis
E Batavo a vobis ſunt reditura ſolo.

Fa-

Fama per ambiguos ſecuro tramite calles
Firmet ad Aonidum culta vireta gradum,
Ornatoſque boni titulis aequique ſequatur
Laude ſua, & cultu divite tuta quies.

HENR. SNAKENBURG.

XIII.

AD

Praeſtantiſſimum Ornatiſſimumque Juvenem

PETRUM D'ORVILLE,

Amicum integerrimum,

JCtis adſcriptum.

Dorvilli, placido cui ridet lumine Phoebus,
Cumque Jovis nato Pleïadoſque Themis.
Cui nunc cum celebri plaudit pater Amſtela Rheno;
Fauſtaque cui ſocius gaudia cunctus agit.
Si vacat, huc oculos poſito converte rubore,
Inque tua laudes accipe luce tuas.
Eſſe aliquid quicumque petant, ex artibus uni
Pectora praeclaris fixa tenere ſolent.
Et, cui contigerit placita praecellere dote,
Gloria, vel magnae, praemia, dantur opes.

Hos

Hos juvat, abreptos auri radiantis amore,
Privatae inſomnes invigilare rei.
Nec vanas agitant avido ſub pectore curas:
Splendida pro gnavo lucra labore ferunt.
Divitiis alii ſpretis res noſcere priſcas,
Palladioque placet nomen habere choro.
Alter Apollinei capitur dulcedine plectri,
Nilque, niſi argutum condere carmen, amat.
Eſt aliis ſtudium civilia diſcere jura,
Inque foro celebri verba diſerta loqui.
Omnibus his ſua palma datur, laudemque cupitam
Quiſque refert, ſtudiis aptaque dona ſuis.
Quique ea promeruit, ſe vertice ſidera coeli
Tangere, & hac ſuperis cenſet ab arte parem.
At tibi quae curis operoſis digna dabuntur
Praemia, quas animo nobiliore foves;
Cui non ſuffecit peregrinis poſſe parare
Mercibus immenſas per maris aequor opes!
Has vulgus ſitiat ſolas, miretur avarus.
Non tam ſtulta animi, Petre, libido tui.
Quaeris opes; ſtudiis ſed cor mollire ſeveris
Pluris habes, mores & didiciſſe bonos.
Candidus hoc pudor ille probant, atque ardor honeſti,
Sinceroque ſedens pectore rara fides.
Divitiaſque tuo proprias quaeſiſſe labore,
Quam caecae mavis debitor eſſe Deae.
Hinc tibi Grajorum curae eſt peragrare vireta,
Amplaque Romani paſcua obire ſoli.
Unde tuae carpas laetiſſima pabula menti,
Et ſtabiles, quamvis ſors vaga mutet, opes.

Nec

Nec ſtudio hoc laſſus generoſo ſcandere niſu
  Culmina Pierii montis ad alta paras.
Spiritus & quoties Phoebi tuus ignibus ardet,
  Carmina facunda voce venuſta canis;
Haereat ut merito dubius quis, carmina Fratris,
  An tua ab ingenio fertiliore fluant.
Scilicet, ex aliqua Germani gloria parte
  Ne ſuperet laudes, aemule Petre, tuas,
Illi contendis pulcro certamine, doctis
  Quaerat uter curis praemia plura ſibi.
Sunt tituli teſtes hodierna luce recepti,
  Quos modo juridica Frater in arte tulit.
Nec tamen hunc, quod docta probant monumenta, decorem
  Indigno, Themidos Myſta, labore capis.
Hoc etenim ſuaſit ſtimulans tua pectora virtus,
  Actaque promeritae per ſua laudis amor.
Laudis amor meritae magno te ardore replevit
  Volvere Romulei nobile juris opus;
Ac poſt Mercurio collatae tempora curae
  In ſtudiis noctem continuare die,
Ut penitus ſcires juſſas a Caeſare leges,
  Et bene conſultis quae placuere viris.
Vidit & hanc Dea juſta operam, tantoſque labores,
  Differrique ultra non tua vota tulit:
Teque ſuum prono compellans numine Myſtam,
  Parva tibi quamvis, praemia magna dedit.
Parva tibi haec certe ſunt praemia, ſummus Apollo
  Cui dona acceptis uberiora parat,
Atque alii, multa quîs cum prece tura dediſti,
  Et quorum es pactus munera ſaepe, Dei.

Hi tibi promiſſis ſi ſtant, ut numina oportet,
Prae multis varia dote beatus eris.

F. V. OUDENDORP.

XIV.

Viro Nobiliſſimo Eruditiſſimoque

PETRO D'ORVILLE,

Amico integerrimo,

Quum ſummis in utroque Jure honoribus inſigniretur.

QUid fervor acer nobilis ingenî,
Et cura pernox, & labor improbus,
Vigorque mentis poſſit altae,
Egregie tua, Petre, monſtrant
Exempla: quem jam laus manet incluta,
Et fama claris tollit honoribus,
Interque ſacros jam reponit
Ex merito Themis aequa myſtas.
Gratantur omnes, quîs tua cognita eſt
Virtus, honores & titulos tibi
Novos adepto, gratulantur
Et patriae pariter, Patrique.
Et nos ſilentes cerneret haec dies?
Non ſic: canamus, plauſibus & novis

Gra-

Gratantium voces ſequamur,
Triſtitia in pelagus fugata.
Jam jam vetuſtum da mihi Caecubum,
Ut rore dulcis nectaris imbuar,
Plectroque feſtivo celebrem
Teque, tuamque diem, Sodalis.
Num fallor? an me ſurripuit mihi,
Atque ipſa egenum copia reddidit?
Quum plena ſit nobis tuarum
Materia, & ſeges ampla laudum.
Fecunda talis rura perambulans
Bos, huc & illuc, quo rapit impetus,
Vagatur, & ſaltus pererrans
Ore metit dubitante gramen:
Errorque talis florilegas apes,
Dum prata paſſim roſcida pervolant,
Et mella multo e flore carpunt,
Ambiguas tenuiſſe ſuevit:
Nam ſive mores pectoris aurei,
Seu vis remotae rara ſcientiae
Nos detinet, miramur uſque,
Et dubii pariter tenemur,
Primumne dotes concinere ingenî,
Pectusne pura candidius nive,
Cui nunc videre eſt vix ſecundum,
Conveniat celebrare cantu.
Venam polito carmine divitem,
Doctis probatam plus vice ſimplici,
Prudens tacebo, nec faventes
Eſt animus memorare Muſas.

Invaſit ingens pectora ſcilicet
Laudis cupido, non opibus vagis,
Aſt eruditis comparandae,
Quae nequeunt periiſſe, chartis.
Hinc blandientis dona pecuniae,
Quae ſaepe mentes proh! pudor! abripit,
Scientiarum incenſum amore
Flectere non potuere, nec te
Mutare quidquam. At, propoſiti tenax,
Partem diei non nimium anxio,
Sed, quo decet, quaeris labore
Addere opes opibus paternis;
Partem ſeveris rite ſcientiis
Impendis, aut te, forte negotiis
Duris fatigatum, canentem
Pieriae recreant Camenae.
O quam beatus jure vocaberis!
In quem tot unum munera contulit
Numen benignum, quemque large
Multiplici cumulat favore.
Quid longiori carmine te morer,
Et vota lentus debita differam,
Quae rite poſcunt tot per annos
Foedera amicitiae probatae?
Ut nempe coeptis Mercurius tuis
Adſpiret; ut te provehat altius
Favente cum Phoebo, & Dearum
Aonidum, Themis aequa, turba.

DANIEL SIMON SIBERSMA.

XV.

XV.

Cariſſimo Fratri

PETRO D'ORVILLE,

Quum J. U. D. renunciaretur.

DIvitiis ſine fine dies noctesque parandis
  Inſtet, & haec animum cura perennis agat,
Si cui felicem videatur reddere ſola
  Vix domino, Frater, copia nota ſuo.
At diverſa tibi placuere, ac te ſibi quamvis
  Vindicet Atlantis Pleïoneſque nepos,
Et patriis ſtudeas augendis rebus honeſte,
  Quanta ferant vitae commoda, gnarus, opes;
Non tamen evaluit tantum pervertere ſenſus
  Nummorum nummis non ſatianda fames,
Ut tibi dilectas poſſis liquiſſe Camenas,
  Totus & in ſolis ſordidus eſſe lucris:
Muſica ſed miſcens peragendis otia rebus
  Jucunda recreas pectora laſſa vice,
Atque Aganippeo curarum liber in antro
  Aſpera fortunae poſſe levare caves.
Ut juvat Aoniis ſpatiari molliter hortis,
  Purpuream pingit flos ubi ſemper humum!
Et modo Apollinei mulcent qua gutture cycni
  Aëra, miranti combibere aure ſonos!
Et modo Gorgonei ſaturum de fonte caballi
  Carmina Pieria dicere digna lyra!

Nam tibi non parce ſitienti indulſit Apollo,
Ora quibus vatum ſacra rigantur, aquas.
At non contento pretioſa per otia Muſas
Demeruiſſe, Themin demeruiſſe ſedet.
Quaeque olim populo poſuit ſervanda Quirino
Noſcere jura tibi maxima cura fuit.
Et coeptum bene ceſſit opus; nec ſe tibi Diva
Difficilem, Muſa conciliante, dedit.
Protinus at legum diſcuſſit luce tenebras,
Inque ſui duxit te penetrale ſacri:
En noſtros, ait, Aonidum cape cultor honores;
Non mihi cum Muſis gratia nulla tuis.
Parnaſi, memini, quum vertice templa tenebam,
Et ſacra per populos carmine jura dabam:
Tunc quum, ſervatis aegre Pyrrhaque viroque,
Ultrix omne hominum perdidit unda genus.
Inde meos verſus ceſſi montemque Camenis;
At vetus ille loci manſit & artis amor;
Et, ſi quis me adeat parili ſuccenſus amore,
Tangor, & hunc titulis pronior orno meis.
Tu modo delati non umquam oblitus honoris,
Pectore conſtanti juſque piumque cole,
Nec ſpes Attalicae valeat te flectere gazae,
Numinis ut monitus non ſequerere mei:
Quemque vides noſtrum tibi conciliaſſe favorem,
Caſtalidum ſemper fac venerere chorum.
Sint rata juſſa Deae. ſed erunt rata; namque futuri
Omina praeteritum non dubitanda dedit.
Sic tibi ſit praeſens fauſto decus alite partum,
Semper & in majus provehat almus Honor:

Sic

Sic pleno faveat dives tibi Copia cornu;
Sic ratibus parcat ventus & unda tuis:
Sic Muſae ſtudiis adſpirent nobilis otii,
Aeternetque tuae carmina Fama lyrae:
Sic quae quiſque tibi feſtiva hac luce vovebit,
Haec duplici reddat foenore vera Deus.

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

XVI.

BERNARDUS MONETA

A D

JAC. PHIL. & PETR. DORVILLIOS

DE EPICEDIO IN

DAV. HOOGSTRATANUM.

DOrvilii Fratres, ne exſtinctum credite Vatem:
Veſtro immortalis carmine ſemper erit.

XVII.

In Nuptias

Fratris Cariſſimi

PETRI D'ORVILLE,

Et Lectiſſimae Virginis

MARIAE JACOBAE de BRUYN.

Nunc Perſea meis veniant talaria plantis,
Sufficiatve ſuae Daedalus artis opem.
Me quamvis Latii teneant miracula priſci,
Hoſpes & aeterna verſer in urbe Remi,
Linquentem ſubito terras populoſque volatu,
Secta per aërias duceret aura vias;
Nec prius ex humeris conceſſa recederet ala,
Libera quam Batavûm deſpiceretur humus:
Hic ubi velivolum liquido pede Nais in Yam
Labitur, Amſtelii Nais alumna patris;
Hic ubi, Petre, tuis ſponſalia ſerta capillis
Imponens, rutilam lampada quaſſat Hymen:
Et cava feſtivo reſonant penetralia coetu,
Et chorus & citharae voxque canora vigent.
Quam foret haec inter necopinis dulce lacertis
Singula deſertae membra fovere domus,
Laetantumque genis lacrimas ſpectare fluentes,
Inque vicem lacrimis ora rigare piis!

Te

Te vero in primis, Pater optime, cernere averet
Uſque moraturo lumine noſter amor,
Dum, nova diffuſo teſtatus gaudia vultu,
Omine firmares ſacra marita bono,
Amplexuſque nurum manibus natumque duabus,
Oſcula divideres inter utrumque caput,
Atque haec verba dares: Exaudivere parenti
O! quoties factas numina magna preces;
Taeda tribus placuit tandem de fratribus uni.
En! minimus natu ſpes facis eſſe ratas.
Succendit tenera juvenilia pectora flamma
Qualis judiciis virgo legenda meis.
O formoſa! nurus jam nunc aſſueſce vocari,
Incipe me jam nunc patris habere loco.
Eſt mihi, ſitque meo longe diuturnior aevo,
Filia, quae curas allevat una ſenis.
Altera maturis nimium proh! occubat umbris,
Nunc etiam ſiccis vix memoranda genis.
Per te grata feram tanti ſolatia luctus,
Moribus atque annis illius inſtar habes.
Per te iterum adſpiciam geminas certare ſorores,
Utra patrem ſtudio ſeduliore colat.
Noſtra bipartito pietas diſcurret; in ambas
Ex aequo veniet diſtribuenda jugo.
Nate, puellares noviſti evincere faſtus,
Haec eſt officiis reddita palma tuis.
Jam tibi ſunt thalamus, caſtumque cubile parata,
Inferet huc niveos ſponſa decora ſinus.
Illic perpetuas felix Concordia ſedes
Collocet, atque annis non minuendus Amor.

O 5 Pul-

Pulcra domum ſeries hinc effultura nepotum
  Ante meos ludat, turba minuta, pedes.—
Adſenſit dictis plauſu chorus omnis. at illis
  Acrior exarſit tota per oſſa calor.
Quidquid enim cari natis vovere parentes,
  Numine non duro perficit ipſe Deus.
Cernite, ut innectant geminas cervicibus ulnas,
  Nec divellendis oribus ora premant!
Sic hedera in ſilvis quercum ſtringente corymbo
  Implicat, aut ulmum vitis amica ſuam.
O bene! tam placitos quod non abſconditis ignes,
  Frater, & o Fratris cura venuſta mei.
Diſcat ab exemplo, res quam ſit dulcis amare,
  Si quis in hac turba pectora dura gerat.
Quin nos ardoris veſtri tetigere favillae,
  Nec ſpatia immenſae quid valuere viae.
Et probo, ſed vanis ſocialia foedera votis,
  Coelibis & vitae triſtia jura queror.
At de me exactis erroribus ille videbit,
  Cui fati tabula eſt aerea nixa genu.
Vos, quibus interea facili net pollice Clotho
  Aurea purpurea ſtamina ducta colo,
Collibus Idaliis vernos decerpite flores.
  Conteritur nulla gratior hora mora.

Jac. Phil. D'Orville.

XVIII.

XVIII.

DOCTISSIMO, VIGILANTISSIMO, AMICISSIMOQUE VIRO

PETRO D'ORVILLE, J. U. D.

ET LECTISSIMAE VIRGINI

MARIAE JACOBAE DE BRUYN,

Sponſo Sponſaeque Feliciter.

Eia age nunc, Erato, Parnaſia deſere Tempe,
Atque hilari vultu ſub mea tecta veni.
Dumque meus peragat laetiſſima ſacra Sodalis,
Conveniens ſacris dic mihi, Diva, melos.
Et, ſcio, non renues: vix uſquam dignius illis
Par juvenum, cantu quod celebrare velis.
Scilicet aequali magnae Cythereïdos aeſtu
Dorviliuſque tuus, Brunaque pulcra calent.
Caſtaque jam ſocii conſtringere foedera lecti,
Ire & in amplexus, oſculaque arta parant.
Quare age nunc, Erato, genialia carmina funde,
Et mecum, o Hymen, o Hymenaee ſona.
Quaeque mihi cecinit Sponſus, ſuaviſſima fauſto
A me quum conjux omine ducta domum eſt,
Tu recine, effuſoque refer pia pectore vota,
Ac, ſim gratantum pars ego quanta, doce.
Idaliis igitur ceſſiſti, Petre, ſagittis,
Jamque foves Paphias corde volente faces;

De-

Deliciaſque tori flagras haurire jugalis,
  Et plus Sicaniis dulcia mella favis?
O ita! num ſolus vatum tu fortior ires,
  Vel pueri effugeres tutior arma Dei?
Hoc nolint Charites, nolint hoc mille Lepores,
  Vatibus & qui dant mollia corda, Joci.
Non hoc ipſe velit Phoebus, Phoebique Sorores.
  Haec Veneris tota eſt rebus amica cohors.
His Amor auxiliis Naſonem vicit, & illum,
  Cui ſpes, perpetuo lucidus igne focus.
Haec teneram docto junxere Lycorida Gallo,
  Vatis & hinc Umbri Cynthia flamma fuit.
Sic quoque, dum Charites cultu, Muſaſque frequentas,
  Poculaque Aonio plena liquore bibis,
Traxiſti occultum ſitienti corde venenum,
  Repſit & in venas inſidioſus Amor.
Ac viſa adtonitus facie, qua candida pollet
  Bruna, recentis herae vincula ferre cales.
Jam lacrimis precibuſque rogas, & ſupplice vultu,
  Blanda tuis votis ut velit eſſe locum.
Saepe etiam dulci cantu lenire puellam,
  Et teneris tentas flectere corda ſonis.
Illa tamen, quamvis mitiſſima moribus, aures
  Claudit, & intactum pectus Amore gerit.
Quid tibi nunc animi eſt? Grajos, Latioſque poëtas,
  Vulnera quîs creſcant, jam quoque, Petre, legis!
Majugenae an potius ſacris operaris, opeſque,
  Poſtpoſitis Phoebo Piëriſinque, paras?
Et per ephemeridas melius tabulaſque, furores
  Sollicitae mentis poſſe domare putas?

Quid-

Quidquid agas, fruſtra eſt: ſaevus medicamina ridet
  Iſta, reluctantes & magis urguet Amor.
Nil ſupereſt, querula Venerem niſi voce precari,
  Mitiget ut dominae ferrea corda tuae,
Ac faciles captare aditus, & tempora amica,
  Quîs Bruna obſequiis dulcibus apta capi eſt.
Et fuit apta capi: juvit tua vota Dione:
  Victaque formoſam dat tibi Sponſa manum.
Et nunc blanditias miſcet, nunc ridet ocellis,
  Purpureaeque nitent Cypridos igne genae.
Nec renuit, placito quamvis ſubſuſa pudore,
  Mutua compoſitis oſcula ferre labris.
At tibi quanta torus promittit gaudia, quum te
  Excipiet niveo Bruna venuſta ſinu?
Hunc, viden'? hunc Hebe ſternit, Chariteſque, Jocique,
  Ac viridi myrto pronuba Juno replet.
Alitibuſque optata bonis jam vincula nectit,
  Aeternumque Hymen pectora veſtra ligat.
Interea adclamant cari tibi, Sponſe, poëtae,
  Et Sponſae dotes laude frequente canunt.
Cumque his Sparnanae, tenet & quas Amſtela, Nymphae,
  Ter bene ſit Sponſis, pectore & ore vovent.
Itala quin etiam reſonant adplauſibus arva,
  Quos Fratrem pietas edere rara jubet.
Firmaque dum vobis concordis gaudia vitae,
  Feliciſque optat pignora pulcra tori,
Illius ad vocem Tibris caput extulit alveo,
  Naſoniſque modos hos putat eſſe ſui.
Sed tibi quo cantus? thalamus vos rite paratus,
  Impatienſque morae te Cytherea vocat.

Exue

Exue virgineum, nunc exue, Sponſa, pudorem,
Et cupidi amplexus perfer & arma viri.
Mater eris, quid adhuc metuis dulciſſima bella?
Quum decies rediit Cynthia, mater eris.
Ite, agite, o Sponſi; laſcivum ludite luſum,
Plenaque det vobis gaudia blandus Hymen.
Hic, ut creſcat amor, faciat; Concordia ſemper
Mitis & ut veſtras excubet ante fores.
Sic opulenta gravi ditet vos Copia cornu:
Sic multa Juno prole benigna beet.

F. V. Oudendorp.

XIX.

In Nuptiis

Ornatissimi Juvenis

PETRI DORVILLII,

JURISCONSULTI,

Et Lectissimae Virginis

MARIAE JACOBAE de BRUYN.

QUas mihi blanditias videor, quae luſibus apta
Exaudire, novo murmura grata ſono?

Fal-

Fallor? an exſultant Phoebo praeeunte Sorores,
Inſtituuntque novos numina priſca choros?
Docta Paphon Pindo jungit concentibus Echo,
Alternantque ſuas Muſa Venuſque vices.
Et merito: pulchro Dorvillius ardet ab igne,
Et figit facili digna tropaea Deo.
Formoſas inter formoſior ipſa Melaenis
Duritie poſita ducitur aequa viro.
Ut trepidat luſu circumſona turba, venuſtas
Dum laeta comites Pronuba voce ciet,
Ducit & Aonidas Permeſſi a flumine Nymphas,
Quae flores calathis ad ſua feſta gerunt.
Adludunt Zephyri molles, paſſimque Ciliſſos
Aura levis ſpirat vere tepente crocos.
Haec aliquis dicat docto ſunt ficta Poëtae,
Ne deſint vati numina culta ſuo.
Non ita; vera loquar. Batavis immixta choreis
Heſperias jactat Muſa Latina faces.
Scilicet in Latio Batavi cantantur amores,
Subjicit & doctos Tibridis ora ſales.
Nec diſtracta loco Dorvillia Muſa remoto,
Ad Fratrem Alpinas transvolat alta nives.
Dum praeſens Nymphis narrat fraterna Latinis,
More novo, thalami foedera, Petre, tui.
Noſtra quoque Auſonios geniali murmure tractus
Hinc gratata tibi Muſa, Jacobe, petat.
Interea curis patrio de more ſolutae
Amſtelides, Batavi gloria magna ſoli,
Ludite; feſtivas hederis innectite myrtos;
Quaque datur, pedibus terra repulſa ſonet.

Gem-

Gemmantes tellure nova roſa ſpargat odores,
Et Cyprio Batavas pingat honore comas.
Nempe alacer feſtoque die, meritoque Poëtae
Pignora laetitiae carmina poſcit Amor.
Et Charites poſcunt, quae dum ſocialia junctis
Strata parant manibus, ſubjiciuntque toro,
Omina ſpemque juvat teneris par luſibus Hebe,
Quique venit Fratri ſponſor & auctor Hymen:
Unanimes ſortemque novam, laetoſque penates,
Praeteritique vicem temporis ore ferunt.
Nos quoque, quod meruit, quo poſſumus ore, ſecutos
Gaudia Dorvillî concinuiſſe juvat.
Quem patriae ſedis ratio, mercatibus apta,
Traxit lucroſi commoditate fori,
Phoebus, Atlantiade invito, creſcentibus annis
Muſica perſuaſit ſe duce caſtra ſequi.
Nunc oculis praedata ſuis ſibi pulchra Melaenis
Abſtulit, in leges ipſa coacta ſuas.
Quique prius teneros in carmine luſit amores,
Et querulo finxit vulnera lenta joco,
Nunc manifeſtus amat, pulchro nunc aeſtuat igne,
Et male fert tardas in ſua vota moras.
Utque renitentem dubiamque Melaenida faſtu
Virgineo vidit, difficilemque ſequi,
Vota, preces, gemitus, riſus confudit in unum,
Immiſcens teneris mitia verba modis.
Inde faces ſubmittit Hymen, vireſque repellit,
Virgineuſque bona vincitur arte pudor.
Et nunc digna equidem te conjuge, Petre, Melaenis
Inſerit optato colla premenda jugo.

Colla

Colla jugo nectenda novo, quod utrimque maritae
Efficient ſocio foedere dulce manus.
Turba frequens plaudit, dignos & tempore riſus
Immiſcet votis, exhilaratque diem.
Myrtus adeſt foribus, ſed & aedes Phoebus alumnas
Hoc feſto voluit fronde nitere ſua.
Fronde nova fragrat, Majo vernante, Cupido,
Excluſaſque Charis tinguit odore roſas.
Naïdes Amſteliae Dryadas de fonte ſalutant,
Harlemiumque implet turba gemella nemus.
Praecutiunt taedas pueri, flectuntque puellae
Serta, maritali conſpicienda toro.
Et qua ſponſa venit praeſignis divite forma,
Praeſentes ſpirat mollior aura Deas.
Ludite felices animae, parilique lepore
Perpetuet Cyprius gaudia veſtra Puer.
Quid tibi nunc animi? quo tandem, Petre, voluptas
Dilata exſatiet corda petulca modo?
Pulchra Melaeni, novo jam nunc Dorvillia cultu,
Quam tua ſors multis invidioſa fuit.
Libera adhuc Sponſo cupidis nectenda lacertis
Colla dat, obſequio Sponſa beata ſuo.
Ite pares animis, conſorti foedere laeti,
Jungite concordes in nova vota manus.
Stricta columbinis date nexibus ora viciſſim,
Et renovet fidus gaudia tuta torus.
Dulce voluptatis caſtae, victique pudoris
Virginei pretium ſit ſine labe puer.
Qui Batavos mores de te, Petre, diſcat, ametque,
Ante tuos ludat parvulus aede pedes.

P Quae-

Quaeque ſuae ſpeciem matris formoſa reducat,
Sit merces culti blanda puella tori.
Fors bona perpetuet, longoſque vireſcat in annos,
Quique fidem, longus robora firmet amor.
Nec ceſſent cultus, lectique jugalis honores
Alterna requie Muſica ſacra juvent.

HENR. SNAKENBURG.

XX.

AD

FRATREM

PETRUM D'ORVILLE.

Haec tibi de noſtro veniunt munuſcula agello:
Debita ſunt Grajo ſed tamen illa ſolo.
Surculus ut melior ſterili coaleſcere trunco
Edoctus, domino mitia poma tulit:
Sic utinam placeant Zmyrnaei carmina vatis,
Verſa licet Latio, Frater, ab ore fluant.

XXI.

XXI.

HOMERI HYMNUS VI.

UT quondam, canimus, proles Semeleïa, Liber
Ad mare, qua viridans longe procurrerat acta,
Conſtiterit, juveni ſimilis: cui flore tegebat
Prima juventa genas; flavi cervice capilli,
Purpureuſquè humeris latis undabat amictus.
Ecce ſuis ventis, ſed non & numine, vecti,
Audaces toto praedas agitare profundo,
Adſunt Tyrrheni; puerumque in litore viſum
Nutu ſignificant tacito, terraeque propinquant:
Exſiliuntque, alacreſque rapinam in nave reponunt.
Namque putant aliquem magnorum e ſanguine regum.
Ergo onerant vinclis; ſed vincula nulla tenebant;
Sponte ſua manibus lapſae, pedibuſque, catenae:
Ipſe renidebat glaucis ſecurus ocellis.
Talia Medides, clavum ratis ille regebat,
Vidit ut, increpuit magna cum voce ſodales:
Quid, miſeri, tantum nodis religare paratis
Numen! & ipſa ſacro ſidit ſub pondere pinus.
Jupiter hic ipſe eſt, pharetrave inſignis Apollo,
Neptunusve pater; neque enim mortalis in illo
Forma, ſed aequa Deis, coeli qui limina calcant.
Quare agite, expoſitum jam nunc dimittite terra,
Vimque omnem removete procul, ne motus ad iram
Indicat pelago nimbum ventoſque furentes.

Hunc navis dominus dictis inceſſit amaris.
Hoc age, & optatis permitte aquilonibus alnum,
Omniaque arma move. tibi non, ſed fortibus ille
Cura futura viris, atque hinc vel ad oſtia Nili,
Aut Cypron, aut ad Hyperboreos penetrabit, & ultra,
Nave mea vectus; dum nomina ſponte parentum
Ediderit, fratrumque, & ſi qua eſt abdita gaza.
Non fruſtra obtulerit tanti ſpem Fors bona lucri.
Dixit, & erecto deducit carbaſa malo;
Ac ſimul a tergo complevit lintea Corus.
Trabs levis aequato pede coerula prona ſecabat,
Quum rerum facies oritur miranda novarum.
Dulcia per totam diſcurrunt vina carinam,
Nec niſi Lenaeos aër exſpirat odores.
Dumque pavent, velis increſcit pampinus ipſis,
Ac paſſim pendet rubicundis uva racemis;
Atque hedera erranti complexa volumine malum
Lacteolis exit carcheſia ſumma corymbis.
Tranſtra quoque & remos Baccheïa ſerta coronant.
Tum demum attoniti, terram petat ocius, omnes
Medidae inclamant. At Bacchus monſtra parabat
Dira magis. Prora ſed enim leo conſtitit ingens,
Ore immane fremens: nigrantibus hiſpida villis
Urſa adſurrexit medio ratis: unguibus urſa
Hinc lacerare viros uncis avet: hinc leo, flammas
Ejectans oculis, rictus oſtentat hiantes.
Exanimes fugere, pius qua puppe magiſter
Stabat, & una omnes denſa cinxere corona.
At navis dominum leo corripit impete vaſto
Inſiliens, mortiſque metu dant cetera ſaltus

In

In mare praecipites nautarum turba, fretoque
Delphines curvi numeros auxere natantum.
Mediden ſolum dextra miſeratus Iacchus
Continet, ac verbis pavitantem firmat amicis.
Pectore ſolve metus, trepidae dux optime claſſis;
O! animo dilecte meo, pietatis honorem
Magnorum referam cumulata ſorte bonorum.
Ipſe ego ſum Liber, Tyrii quem filia Cadmi
Invicto peperit Semele formoſa Tonanti.
Bacche fave vati; nam per tua munera, per te
Unica victuris accedit gratia chartis.

XXII.

MUSARUM VINDICTA,

AD

FRATREM

PETRUM D'ORVILLE.

DUra ſubalpino dum frigore bruma rigebat,
  Suadebatque Aquilo ſaevus amare focum,
Accipis en, Frater, fatuum quo carmine luſi,
  Cui nomen tribuit garrula Pica, virum.
Ac, ſolitus quoniam proavos jactare vetuſtos,
  Forſan & a Picis duxerit ille genus.

Scilicet his avibus fuit olim humana figura;
Namque novam faciem lingua proterva dedit.
Pieros Euippes novies impleverat alvum:
Femineum toties edidit alvus onus.
Pieros Emathiis agri ditiſſimus oris:
Aemoniis nuribus gloria mater erat.
His animos ſumſit ſtolidarum turba ſororum:
Intumuit numero ſed magis illa ſuo.
De grege neſcio quae quum dixit forte: Sorores,
Cur teritur nobis laude juventa carens!
Non, puto, vos latuit, quae noſtras ſaepius aures
Vulnerat, Aoniis fama relata jugis.
Illic Mnemoſynes furtim concepta propago,
Quam cuperet Juno turpe perire genus!
Carminis illecebris & inani faſcinat arte
Vocis Hyanteos, ruſtica corda, viros.
Quin e Phocaicis concurrunt urbibus illuc,
Theſpiadumque adolent turis honore focos.
Nos, quas legitimis Euippe nixibus omnes
Edidit, & genitor ſceptra decere facit,
Cur nos negligimur? Maribus ſine vivere jactant:
Nos quoque virginitas non temerata juvat:
Si vox eſt iſtis, & nos cantare peritae.
Et bene ſi numero, nos ſumus ecce novem.
Talibus atque aliis incenſae linquere ſedes
Conſtituunt patrias, Paeonioſque lares.
Ac, ceu per Rhodopen euantum turba vagatur,
Pectora Baſſarii plena furore Dei,
Stulta cohors, vanae ſtimulante cupidine laudis,
Aonas ad montes ingrediuntur iter;

Et,

Et, vix delatae colles Heliconis ad imos,
  Theſpiadum quatiunt talibus antra ſonis.
Deſinite indocti plauſu turgeſcere vulgi,
  Quod vos, Mnemonides, praedicat eſſe Deas:
Credit &, illuſum vana dulcedine, ſolas
  Caſtalio dignum poſſe ſonare ſpecu.
At, niſi judicibus fugitis certamina Nymphis,
  Fons Aganippeus Cirrhaque noſtra forent.
Quid faciant Muſae! Stolidis certare puellis
  Turpe quidem viſum: cedere turpe magis.
Conveniunt Nymphae, divinaque flumina jurant,
  Preſſit & herboſos ordine quaeque toros.
Tum ſine ſorte prior coepit longiſſima Chloris:
  E conſanguineis ſtultior illa novem.
Bella Jovis cantat, falſoque in honore Gigantas
  Ponit, & extenuat fortia facta Deûm.
Quin, poſtquam Briareus commovit brachia centum,
  Coeleſtes perhibet terga dediſſe fugae.
Jupiter, Aonidum genitor, fit dux gregis illi:
  Praeſul Caſtalii corvus Apollo chori:
Ibide Mercurius, latuit Semeleïus hirco:
  Bucula Juno fuit: Cynthia felis erat.
Murmure dum rauco convicia talia fundit,
  Projicit & numeris carmina trunca ſuis,
Brachiaque, ut remos, contorquet, nautica pubes,
  Comploditque manus, & favet ipſe ſibi:
Omnia lugebant. Titan defecit Olympum:
  Nox terram tenebris texit opaca novis:
Atque Helicon, tamquam lugubria ſumſerat, ipſe
  Nubibus obſcuris culmina preſſus erat.

 Aſt,

Aſt, ut Calliope, Muſarum maxima, coepit,
Sponte ſua ceſſit cetera turba Deae,
Et cecinit Cererem, Cereriſque uberrima dona,
Leges & ſegetem, glande jacente, novam:
Carmine divino permulſus conſtitit aether,
Nec ſivit rapidos axibus ire polos:
Aſtraque perpetuas intermiſere choreas,
Et ſol purpureos lentius egit equos.
Cantibus intenti preſſerunt murmura Cori,
Ac tenuit fremitus aequoris unda ſuos.
Et medio requievit aquas Sperchcos in alveo,
Et vitreo Peneus extulit amne caput.
Ad citharam auritae flexere cacumina laurus,
Et tigris oblita eſt & feritatis aper.
Ipſe Helicon uda viſus tellure levari,
Ac viridans ſtellis inſeruiſſe jugum.
Calliope ſimulac vocalia preſſerat ora,
Judicibus Nymphis palma tributa Deae eſt:
Paeonides juſſae ſacris excedere lucis,
Et colere Emathias, horrida teſqua, plagas.
Sic quoque judicio concordi victa, repugnat
Improba nec cuiquam viſa pudere cohors:
Quin etiam Muſas dictis petiere protervis.
Non inpune tamen fundere probra fuit.
Nam nova dum pandunt os in convicia, apertis
Rictibus induci cornea roſtra dolent.
Unguibus & ſtrictis, manibuſque in verbera tenſis
Pinnarum ſubito naſcitur ordo novus.
Brachiaque & nudos plumae texere lacertos,
Caudaque pro longa pendula veſte fluit.

Et,

Et, color invidia liventis pectoris atra
  Is fuerat, toto corpore nigror ineſt.
Candida at hic illic nota parva remanſit, ut illas
  Virgineo ſcires ore fuiſſe prius.
Raucaque garrulitas, altercandique libido
  Manſit in alitibus, quae fuit ante, novis.
Quodque agili ſaltu transmittant corpora ramis,
  Indociles una ſede manere diu,
Indolis hoc veteris retinent quoque, quippe relicta
  Caſtalium patria quae petiere nemus.
Quodque fuere, probant, nemorum convicia, Picae,
  Theſpiadumque irae tot documenta volant.
Hic quoque Picarum ſoboles recidiva priorum,
  Pieriſin voluit noxius eſſe meis.
Nam mihi Sardoae ſapiens rex juſſerat orae
  Aonii gazas ipſe patere laris:
Marmoribus priſcis quidquid, priſciſque papyris
  Divite condebat bibliotheca ſinu.
At ſtupor hic hominis, Phoebei infamia templi,
  Luſtrari dignas eſſe negavit opes,
Neſcio quas ſordes loculis marcere profeſſus;
  Clauſit & adpoſita pulpita docta ſera.
Paruit irarum ſtimulis, hoſtemque profanum
  Ulta fuit telis noſtra Thalia ſuis.

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

XXIII.

In

PICONUM

Bibliothecarium Taurinensem.

QUiſquis ad Auguſtam Taurinûm veneris, hoſpes,
Haec mea in attento pectore verba notes.
Eſt quidam tota celeberrimus helluo in urbe.
Vix Eriſichthoniae ceſſerit ille gulae.
Unde caput Rex Eridanus levat Alpe nivoſa,
Quaque tot Adriacas oribus urguet aquas,
Hunc temere ad coenam jam dudum nemo vocarit.
Omnes multivorum pertimuere lupum.
Hanc quoque Sicelides peſtem meminere popinae.
Sicaniis Milon finibus alter erat.
Quem tu captata ſi fors dignabere menſa,
Et ſolet externos arte ferire viros,
Ponantur modici, carnes, pars magna macelli,
Ac quantum triduo panis arator edat:
Poſſit ut his primum ſtomachi lenire furorem.
Non facit ad tantam pullus anasve famem.
Hinc lepus ac perdix ſpacioſam abdentur in alvum,
Factaque de turdis ſiqua corona tibi eſt.
Miſerit & felix quod ſi Campania pernam,
Ventris in immenſum ſidet & illa cavum.
Ceu Harpyia rapax manibus laniabit aduncis
Singula. non avidis dentibus ulla quies.


Il-

Ille etiam quemvis ſuperarit amyſtide Thracum.
Craterem ſtatuas; non bibit ille ſcyphis.
Guttura percuſſo Danaëia dolia fundo,
Crediderit raptae vel quis abyſſon aquae.
At Cereris Bacchique levis jactura videtur.
Exiles animas talia damna movent.
Quid ſi convivis ſtomachi miracla capacis
Ridiculum jubeas exhibuiſſe ſemel.
O! quoties, Venetis haec dum ſpectacula praebet,
Jejuno miſeras ambiit ore dapes!
Heu! heu! ni caveas, longe graviora minatur.
Non gula praecipue eſt pars metuenda viri.
Scorpios eſt tumidae nociturus cuſpide caudae;
Inque oculis fati vim baſiliſcus habet.
Illi lingua data eſt cornice loquacior omni.
Hac necat, hac lenta morte perire facit.
Dum modo mille gravi nugas ſermone peroret,
Ut ſocias inter garrula Baucis anus.
Ac modo res pacis, diſcordiaque ordinet arma,
Et regum in trutina penſet ineptus opes.
Et vetera Odryſio Solymarum regna tyranno,
Proh! ſervire nefas! eripienda putet;
Ductoreſque legens terra pelagoque futuros
Annonae curam vindicet ipſe ſibi.
Ac modo Ariſtoteles, recinat, quae ſomnia vidit,
Et chaos, & cauſſas, & mera verba crepet.
Scitave Pythagorae damnet delira renati,
Quod nolit tacitam paſcere carne ſcholam.
Talibus atque aliis captum ſemel uſque tenebit.
Deſperes patriam ſalvus abire domum.

Sed

Sed fuge, &, ut fugias, qua ſit cognoſce figura:
  Hac tibi non poterit delituiſſe diu.
Longus homo eſt, craſſoque pedes abdomine tardos,
  Sed tamen & ficta cum gravitate, movet.
Non ſecus Aetnaeis graditur Polyphemus in oris,
  Litore dum toto te, Galatea, fugat.
Nec quidquam Rhodio concedit mole coloſſo;
  Tantus obit Creten aereus ille gigas.
Nigra ſuperciliis umbrantur tempora nigris;
  Cauda nigris ſetis texit equina caput.
Porrigitur naſus, quem jure proboſcida dicas.
  Non fruſtra. procul hunc uncta culina trahit:
Munia ſi quaeras; gerit inter poma Priapus,
  Regales inter quae tenet ille libros:
Terret aves rubra metuendus falce Priapus:
  Carnifici vultu furibus ille timor.

Jac. Phil. D'Orville.



LIBER EPICEDIORUM IN OBITUM PETRI D'ORVILLE.

I.

PETRI DORVILLI MEMORIA,

Novâ ipſius carminum editione per Jacobum Philippum Fratrem conſecrata.

Ode.

VIſe felices, age Muſa, ſaltus,
Deſidi Lethe quibus errat undâ;
Prata tranquilli celebrant choreis
Herbida Manes.

Sicubi ſcenam viridi coronat
Laurus obtentu, geminusve creſcit
Hinc & hinc veſtrum ſimulante Pindum
Aggere collis.

Hîc

Hîc erit vatum locus. Eminentis
Ceteros vincit ſpecies Homeri.
Sceptra fert; magno ſed & illa tradit
Saepe Maroni.

Vinctus albentes edera capillos
Teïus geſtit fidicen. Sonantes
Appulus contra Latio remiſcet
Pectine chordas.

Laude pollentem plaga quae tenebit
Cumque Dorvillum, placitos Tibullo
Seu canat verſus, docilive Flaccum
Provocet auſu;

Nuntia laeto bona dicta vati.
Audiat Fratris quid amor Philippi
Praeſtet, extincti decus ut rapaci
Eximat orco.

Vatibus donec Latiis manebit,
Per novos olim reparanda caſus,
Fama, Dorvillos ſua non relinquet
Gloria Fratres;

Aureo quales radiant Olympo
Candidi Ledae Juvenes, ſuamque
Alteri lucem, refluente flamma,
Foenerat alter.

Joannes Buherius.
Praeſes infulatus
Senatus Burgundici.

II.

II.

D. M.

Viri & Poëtae Eximii

PETRI D'ORVILLE,

S.

DOrvilii Manes, ah! flebilis umbra Poëtae,
Umbra per Elyſium nunc ſpatiata nemus,
Ecquid, Perſephones poſtquam te duxit in aulam
Injiciens avidas Mors necopina manus,
Et fortunatis poſtquam novus incola campis,
Qua pia formoſam turba pererrat humum,
Inter & inluſtres vatum comes additus umbras
Inmortale ſacro concinis ore melos:
Ulla tamen cari ſupereſt tibi cura Sodalis,
Nec meus ex toto nunc quoque fluxit amor?
Ecquid adhuc noſtrae non deſpicis otia Muſae,
Et facili verſus excipis aure meos?
Non ingrata tibi pietas tunc noſtra futura eſt,
Quaeque fero invita dona ſuprema manu.
Quidquid id eſt, tenuis non adſpernabere dextrae
Munera, nec calami languidioris opus.
At tibi quam mallem viventi nectere laurum,
Atque hederae cultas cingere fronde comas!
Aut, aeſtate nova Batavas delatus in oras,
Laetus in amplexus, Petre, ruiſſe tuos!

Aut

Aut tecum Amſtelia ſpatiari lentus in umbra,
  Vel, duce te, Latiae plectra movere lyrae!
Aut illic genium dulci curare Lyaeo,
  Inter convictus pectora docta tui!
Fluminis ut noti viridante crepidine tecum,
  Amſtela ſive tuo, ſeu pater Ya tuo,
Ingenuos inter luſuſque jocoſque juvaret
  Non tetrica ſerum ponere fronte diem!
Vana ſed haec fruſtra fingentem gaudia, mortis
  Nuntia turbavit litera nigra tuae.
Quae mihi confuſam ſic perculit aſpera mentem,
  Ut Jovis infeſto tactus ab igne ſtupet.
Nam procul a caris pelago disjunctus amicis,
  Neſcius heu! fati dum, Petre, dego tui:
Mors tua me gravius, quia ſerior accidit aures,
  Conficit, & luctum praegravat atra meum.
Et quia non gelido mandata cadentis ab ore
  Excipere, amplexu deficiente, datum eſt,
Aut oculos ſaltem letali rore madentes
  Condere, & extremum dicere voce Vale.
Nec mea quod pietas pompam comitata feretri eſt,
  Hoc magis infelix invida fata queror.
Per mare, quod ſpatiis patria me diſtinet amplis,
  Regna per aequorei mota tridente Dei;
Nereïdumque domos, & glauca cubilia, teſtor,
  Per rapidos, ſed qui vota tulere, notos:
Quum fugientem animam vicina morte trahebas,
  Franequera invitum me tenuiſſe pedem.
O qui me Amſteliam flentem deducat in urbem,
  Siſtat & ad tumuli marmora, Petre, tui!

O mea

O mea quam largos manarent lumina fluctus!
Quot lacrimas plangens ad tua buſta darem!
Tunc mea, nam dolor hic faceret me ſponte diſertum,
Clamaret manes vox miſeranda tuos.
Nec tamen haeſurum premimus nunc pectore vulnus,
Sed procul in querulos ſolvimus ora modos.
Qua licet eſſe pio, pullata ſordida veſte
Inferias pro me Muſa datura tibi eſt.
Nam neque Orontea tumulum conſpergere myrrha,
Nec pretioſa tuo mittere vina rogo:
Nec dare Panchaei mens eſt mihi turis honores,
Aut Arabum cineri fiet odore tuo.
Ultima ſed veri ſtatuam monumenta doloris
Carmina, inexhauſtis fletibus ora rigans.
Quae tibi ſinceri cultum teſtentur amici,
Et memori nomen vivere corde tuum.
Sed tibi Pegaſides Divae Peneïda frondem,
Lectaque de Pindi vertice dona, ferent:
Oſſibus infundent latices Permeſſidos undae.
Hinc tumulo ſurget populus alba tuo;
Quae ſtabilem lauro creſcenti miſceat umbram,
Et viridi ſacram tegmine cingat humum.
Ipſa Venus myrtos, Paeſtanaque ſerta roſarum,
Albaque cum violis lilia ſparget Amor.
At Critice, egregio quae decantata libello,
Diva tibi cultu ſemper amata pio eſt;
Maeviadum inſulſos numeros & frigida ſcripta,
Conditaque Arcadico carmina mille ſono;
Cuncta ſimul tradet flammis abolenda ſupremis,
Non alio poterit ſolvere juſta modo.

Q Ut

Ut quondam Hiſpani nugacia carmina vatis,
Bilbilis eximium quem ſtupet alta decus,
Naugerii Bembique manus ſolamina grata
Obtulit exſequiis, docte Catulle, tuis.
At tua, Phoebe, ſacri quid vates cura vocamur,
Dextera ſi Myſtas non tegat alma tuos?
Dic ubi eras? cum Dorvilio depaſceret artus,
Aegraque letalis clauderet ora ſitis.
An forte Aemonii ludens in vertice Pindi
Errabas bifidi per loca culta jugi?
Aut potius cantu defeſſus inertia ſomno
Membra dabas, ſacrae qua fluit humor aquae?
Debueras certe venienti occurrere Leto,
Demeteret carum ne tibi falce caput.
Inque tuos iram melius converteret hoſtes,
Deque rudi ferret juſta tropaea grege.
Phoebe vale; egregios rapiant cum Fata Poëtas,
Heu nimium Batavi nomina rara ſoli!
Spiſſa Vacerrarum duret cum turba malorum,
Nec pereat rauco murmure rupta cohors;
Anſeribus longae ſi dentur praemia vitae,
Funere praecipiti ſi cadat albus olor;
Da veniam faſſo, nam quid pius eſſe laborem?
Numinis Aonii nomen inane puto.
Fruſtra noſter amor, Pimplcïdes ite Camenae,
Orgia nequicquam cur ego vana ſequar!
Veſtrum erat inmanes cantu exorare Sorores,
Flectere vel blanda numina dura prece.
Stamina Dorvilio nentes fatalia Parcae
Duxiſſent verſa fila relecta colo.

Tar-

Tartareas certe non tam cito raptus ad oras
  Nunc Phlegethonteum cerneret umbra lacum.
Tu quoque, cui doctas, rara virtute, ſolebat
  Dorvilius ſtabili jungere amore Deas:
Eloquii lucrique potens, Cyllenie, vatem
  Debueras Stygiis nunc prohibere vadis.
Nunc erat arbitrium Minoae avertere legis,
  Flexanima & Ditem voce movere trucem.
Nunc erat o fidibus mulcere Acheronta canoris,
  Ac fera tergemini comprimere ora canis.
Vana queror; neque enim Fati revolubile ſtamen,
  Ultima cum furvo venerit hora pede.
Regna Deae inmitis non exoranda querelis,
  Averſaque pias reſpuit aure preces.
Namque animas juſto ſi fas penſare dolore,
  Aut aliena foret ſi redimenda ſalus:
Tu certe alterna Fratrem nunc morte redemtum
  Tyndaridae velles reſtituiſſe modo:
Optareſque tuis Lacheſis quae demeret annis,
  Redderet haec Petro fila, Jacobe, tuo.
Qua licet, ille tamen per te, mihi crede, reduci,
  Et quam concedunt Fata, redire viam,
Taenarii poterit fauces erumpere Averni,
  Poſtque obitum docti vivere in ore chori.
Collige terſa tui limata Fratris ab arte
  Carmina, quae variis luſerat ille modis.
Cuncta ſimul Famae quam primum expone theatro:
  Hoc te Caſtalidum publica vota rogant.
Non alia poteris Manes pietate mereri,
  Non alio Frater poſcet honore coli.

Plaudet ab Elyſiis Broukhuſia Muſa viretis,
Franciaque officio Calliopea tuo.
Hoogſtratana modos demirans umbra venuſtos,
Diſcipulo lauri cinget honore caput.
Ingenio adſurgens cari Vlamingus amici,
Secreti nemoris laetior antra colet.
Nos quoque, qui ſacras veneramur Apollinis artes,
Dicemus laudes, quo decet, ore tuas.
Fac nobis igitur redivivum cernere Fratrem,
Detur & a docto, qua patet, orbe legi.

P. Burmannus. Fr. F. Fr. N.

III.

GRAFSCHRIFT

Voor den HEERE

Mr. PIETER D'ORVILLE.

Hier bergt een nijdig graf der Zanggodinnen Vriend:
By wien Geleerdheid, Deugd, en al wat lof verdient
Geſchat werdt op zijn' prijs; door wiens ontijdig ſterven
De Kunſten haaren roem en trouwe voorſpraak derven:
Die Febus met Merkuur gelukkig heeft gepaard,
En ſchielijk werdt geſtuit in 't midden van zijn vaart.

Doch

Doch ſchoon de wreede dood zo braaf een' man deedt
ſneeven,
Zijn naam behoudt nochtans een onvergangklijk leven,
Nu 't lieffelijk geluid van zijn Latijnſche lier,
Door 's Broeders edle zorg, mag klinken op 't papier.

J. E. M.

IV.

In Funere

PETRI D'ORVILLE,

J. U. D. ac Poëtae ſuaviſſimi.

Quales ſonoro murmure limpidae
De fonte vivo proſiliunt aquae,
Pronaeque delabuntur altas
Per ſalebras & acuta ſaxa;
Juſto coactae donec in alveo,
Gratum colonis flumen & adcolis,
Per rura, per tractus & urbes
Fructiferis ſpatiantur undis:
Talis benigno fonte ſcaturiens
Virtutis altae nobilis indoles
Jam nunc labores & triumphos
A teneris meditatur annis;

Mox certiores dirigit inpetus,
Experta cunctos, quaque patet via
Prodeſſe gaudens, patriamque
Et populos beat arte multa.
His acta, Patrum ſedulitas piis
Cives gubernat legibus, & bonum
Pravumque juſta lance pendit:
His ſtimulis agitata, virtus
Et bellicoſi vis animi ruit
Diros in hoſtes, prodiga ſanguinis
Vitaeque, & incedit per arva
Strage virûm cumulata victrix.
Atqui nec omnis civibus inperat
Virtus, nec omnis ſanguine paſcitur:
Eſt & quietae tuta merces,
Quaeque ſedens bene ponat horas.
Hinc Pacis artes; hinc ea, terminis
Incluſa nullis, vaſta ſcientia
Terraeque coelique; hinc pudici
Virginibus pueriſque mores.
Et vos quis inter nomina civium
Laudata prudens tranſeat, o cati
Mutare merces, ultimiſque
Divitias trahere uſque ab oris?
Vobis referre eſt, quod patriae aurea
Cornu refundit Copia divite
Fruges opimas, ligneoſque
Marmorei pepulere & olim
Et nunc penates: quos utinam diu
Ignota juſtis damna parentibus

Non

Non inquinaviſſent, nepotum
Luxus, avaritiaeque peſtis!
Felix, venuſtae qui redeuntia
Luſu camoenae ſeria dividit:
Non igneo curas Lyaeo
Diluit; at per odora Pindi
Teſqua inſonantis fertur, apis velut
Matina, in horto quae thyma florido
Carpens fluentum juxta amoenum,
Nil vitii trahit ore caſto.
Talem, meorum cura ſodalium,
Te, Petre, nuper vidimus, integrum
Vitae probroſam dulcis inter
Perniciem ſcabiemque lucri.
Tu rauca linquens auribus hiſpidis
Vernaculorum murmura carminum,
Priſcae vetuſtatis probaeque
Aemulus, Auſoniam ſtudebas
Pulſare docto pectine barbiton,
Spirare molles aut Elegos, quibus
Et corda mulcebas & aures,
Ingenuae monumenta Muſae.
At nunc peremtum te nimium cito
Lugere fas eſt, quem media Atropos
E ſemita dejecit, unde
Lex prohibet remeare quemquam.
Lugere fas eſt. ſed quid inutili
Laſſare luctu numina juverit?
Tu nunc abiſti: nos ſequemur,
Serius aut citius, ſodales.

Haec meta rerum eſt: tendimus huc leves.
Plangant dolentes pectora virgines;
Forteſque prudenteſque raptum
Nil prohibet celebrare amicum.

B. Huydecoper.

V.

ELEGIA

In Obitu

PETRI D'ORVILLE,

Viri Praestantissimi ac Poëtae Egregii.

Ad Virum Clarissimum

JAC. PHIL. D'ORVILLE,

Fratrem Ejus Conjunctissimum.

SI licet alloquiis interpellare dolorem,
Ac ſocium lacrimis me ſinis ire tuis,
Dorvilli, noſtrae fautor duxque alme juventae,
O patris aeternum nomine digne coli!
Accipe non fictos teſtantia carmina luctus,
Quaque potes, querulos perlege fronte modos.
Hei mihi, qui motus animo! qui mente tumultus!
Oraque quam ſalſae proluit imber aquae!

Igno-

Ignoſcas, variis ſquallet ſi charta lituris,
  Et labat a tremula litera ducta manu.
Ipſa, vides, paſſis Elegeïa noſtra capillis
  Plangit, & alternum vix trahit aegra pedem.
Scilicet eximii fatum luctura patroni,
  (In cari titubant nominis ora ſono)
DorvilII fatum Petri luctura, decoris
  Oblita, in populos exululata ruit.
Namque tuum vitae ſtamen, praeclare virorum,
  Abrupit propera forfice Parca ferox!
Non animi candor, placidaeque modeſtia frontis,
  Perſephones avidas continuere manus.
Non virtutis amor, vita ſpectatus in omni,
  Inque homines pietas profuit, inque Deum.
Non artes coluiſſe bonas, vel Apolline plenum
  Carmine Arionias aequiparaſſe fides.
Te tamen, indocti captans praeconia vulgi,
  Nunquam ventoſis Gloria vexit equis.
Plebs, nec plebe magis ſapiens, imitentur agyrtas,
  Quique lucri cauſſa numina docta colunt.
Conſcia ſed meriti tibi mens ſuffecit; & aptus
  Ingeniis pretium ponere ſi quis erat.
Quo tamen heu! miſeris dotes mortalibus iſtae!
  Cur populo cupiat quis rudis eſſe minus!
Numinis incaſſum Clarii tutela poëtae
  Credimur. En Phoebi proxima cura jacet.
Cynthie, dic, Pindi quis poſthac viſere lucos,
  Cirrhaeiſque velit tura cremare focis!
Scilicet aſſidui merces haec una laboris;
  Scilicet hoc cultus flebile munus erit:

Ut cadere ante diem, plenique in roboris aevo
  Fata ſacerdotes cruda ſubire ſinas!
Dum ſtolidum vulgus felicia tempora vitae
  Tranſigit, in canis conſpiciturque comis.
Adſpice plebejo ſordens ut pulvere nuper
  Efferat indignum Sorte favente caput!
Turgeſcatque opibus, quas durus forſan avorum
  Corraſit vafra non ſine fraude labor!
Adſpice honoratis atavûm fulgentia ceris
  Atria, & hoſtili capta tropaea ſolo!
Quid juvat! heredes tantae proh! numina! laudis
  Degeneres, foedant nomina clara patrum.
Nemo animum pulcra torpentem firmat ab arte:
  Ingenium cultu nemo decente polit.
Muſa jacet: ſordet doctrinae nobile donum:
  Aleaque & meretrix clamque palamque juvant;
Vinaque, & e nimio naſcentia jurgia vino,
  Inque epulis nocti continuata dies.
Et tamen ille, nefas, veteri quod ſtemmate natus,
  Vel quia divitias vix capit ipſe ſuas,
Magnificos, patria lugente, capeſcit honores,
  Imperiique rudis lubrica frena regit:
Conjuge quin pulcra, multaque propagine felix
  Neſtoris annoſi tempora ſaepe videt.
At cui doctrinis animum formare ſeveris,
  Majorumque libet more vacare libris:
Cui libet antiquas nomen quaeſiſſe per artes,
  Ac patriae ingenio conciliare decus;
Reſpexit placido Sors hunc rariſſima vultu;
  Quin patitur ſaevae verbera ſaepe Deae.

At

At fuerat caruiſſe fatis, quae cetera ſuevit
  Commoda non aequa diſtribuiſſe manu:
Cur, Fortuna, viros lauru ſacra tempora cinctos
  Ante diem Stygio mergere in amne libet!
Horrida quae rerum facies! ſicne ordine nullo
  In pejus Superi vergere cuncta ſinunt?
Barbariesne bona rurſus de Mente triumphum
  Ducet, & obſcura pectora nocte premet;
Ac ſpoliata ſuis Phoebi ſacraria myſtis
  Cum ſtrigibus diris noctua furva colet?
Sed quid vana queror? nimio quid concita luctu
  Sollicitat magnos impia lingua Deos?
Haec fati lex eſt. Mors ſerius ocyus omnes
  Falce ſub horrenda ſubdere colla jubet.
Nec lacrimis quidquam Clotho Clothûſve Sorores;
  Nec tribuit precibus trux Libitina piis.
His ſi pondus enim foret ullum, audita Parentis
  Pro gnato fuerint fervida vota ſenis.
Quos gemitus, fletuſque dedit cum Conjuge Nata,
  Dum ciet haec patris nomen, at illa viri!
Tu quoque Phoebei cuſtos ſanctiſſime templi,
  Amſtela qua vitreis naviger errat aquis,
Quippe animae pars magna tuae, vitaeque voluptas,
  Omniaque hic ſolus gaudia Frater erat,
Tu quoque, Dorvilli, ſupplex ad Apollinis aram
  Sediſti, querula voce precatus opem.
Dumque aqua multa genis flueret, perhibetur Apollo
  Ad tanti lacrimas ingemuiſſe viri:
Deponenſque lyram manibus, laurumque capillis,
  Limina funerea veſte petiſſe Jovis:

Et

Et Lacheſi, caro patrem pro vate fatigans,
  Injicere eſt aliquam niſus Apollo moram.
Mota foret precibus juſti mens alta Tonantis:
  At Superûm votis ferrea fata nocent.
Quod licuit, Phoebus tribuit, laterique poëtam
  Junxit, & in Pindi fronte ſedere dedit.
Hic placidis Petri languentia pectora in ulnis
  Excipiunt Muſae, membraque cara fovent.
Illic Virgilius, Naſoque, tenerque Tibullus,
  Et tu cum cithara, Flacce venuſte, tua,
Ac quotquot Batavis illuſtria nomina in oris
  Pieris argutae reddidit arte lyrae,
Officiis vatem blandis venerantur, & una
  Promeritas laudes ore ſonante canunt:
Dum Critice, merito grates habitura poëtae,
  Cingere Daphnaea tempora fronde parat.
Fallimur, an laeta quamvis in valle receptus
  Aeternis agitas tempora feſta choris,
Has lacrimas gemituſque tui, cariſſime, amici
  Cernis, & his finem me poſuiſſe jubes?
Adſpice dilectos, non fallimur, adſpice vultus,
  Quiſquis in hoc mecum funere rite doles.
Te video! tu me ſolito dignaris amore,
  Optime! tu blando lumine, ut ante, faves!
Meque mones; Latiis, dabitur dum vita, Camenis,
  Actaeaeque feram munera crebra Deae!
Conſiliis parebo tuis, & murmure vulgi
  Poſthabito, Aonios ture litabo focos:
Sollicitaeque levans grata vice munia vitae,
  Otia Caſtaliis noſtra dicabo choris:

Tu-

Tuque, licet Fatum ſuperis inviderit oris,
  Vivus in hoc noſtro pectore ſemper eris:
Ac Petri vultus imitantia ſigna, Penatum
  Inſtar, perpetua religione colam.

HERM. FRANC. KETELANUS.

VI.

ELEGIA

IN OBITU

PETRI DORVILII,

J. U. D. & Poëtae Cultiſſimi.

MAjugenae dilecte Deo, dilecte Camenis,
  Dulce decus Charitum, Petre venuſte, jaces!
Te quoque praeripiunt juvenili Fata ſub aevo,
  Parca nec abſtinuit trux ſcelerare manum.
Nil blandi mores, animae nil candor honeſtae,
  Nec multa virtus profuit arte potens.
Nec, quae vel rabidas valuiſſet flectere tigres,
  A ſurda audita eſt morte canora chelys:
Nil pia longaevi valuerunt vota Parentis,
  Uxorve, aut caſto Nata puella toro:
Nil triſtes gemitus, cari lamentaque Fratris;
  Heu! ſaevo luctu qui tibi paene comes.

Sci-

Scilicet hac cunƈti prodimus lege ſub auras.
Incertae mortis certa rapina ſumus.
At bene! vis leti te non exſtinguere totum;
Nec coeco poterit condere terra ſinu.
Nobiliore tui coelum jam parte pererras,
Divorumque canis carmina grata choro.
Quin etiam ingenii vivent cultiſſima doƈti
Pignora, & aeternum fama ſuperſtes erit.
Perpetuiſque lyrae reſonabit Suada, leporque
Carminibus, Critice quîs tibi facta Dea eſt.
Et quae plura dabas gnavi monumenta laboris,
Tura ſimul Muſis Mercurioque ferens.
Colliget haec Fratris pietas & ſedula cura,
Manibus intenti ſacra dicare tuis.
Nos quoque, ſi quid id eſt, Phoebeïa turba, ſodales
Solvemus cineri juſta ſuprema tuo:
Ac, licet haud Pario ſurgat tibi marmore buſtum,
Signa tamen moeſti peƈtoris uſque geret.
Pierii flores, lauruſque Heliconide ſilva
Decerptae viridi fronde ſepulcra tegent.
Neƈtemuſque roſis violas, ac ſerta cupreſſo
Myrtea, Cecropiis & thyma leƈta jugis.
Cunƈtaque luminibus manante rigabimus imbre;
Eque brevi tumulus carmine notus erit.
Amſtela quem genuit, ſuboles quem fovit Atlantis,
Quem Charitum manibus finxit Apollo ſibi;
Dorvilius, medio Muſis ſubreptus in aevo,
Hic jacet, Aonii cura decuſque chori.

F. V. Oudendorp.

VII.

VII.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

ΠΕΤΡΟΥ ΔΟΡΒΙΛΛΟΥ

ΠΟΙΗΤΟΥ.

Αιαζω Δορβιλλον· επαιαζοιτε μελικται.
Δορβιλλος τεθνηκεν, ανηρ περι παντα μαλ' ειδως.
Ἀι τε μεν Παδὲς Νυμφαι πενθουσιν επ' αυτῳ,
Και δ' ἁλιμυρηεσσα μιν Αμστελις αιλινα θρηνει·
Κεινη, ὁταν νεκρον μελιγηρυν εδερκετο Πετρον,
Δακρυα θερμα χεουσα ποτι ταφον ἑσπετο γυγκαν.
Αιαζω τον Πετρον. επαιαζοιτε μελικται·
Ὑμμι μαλιστα πρεπει τον Βελγικον Ορφεα θρηνειν.
Αμστελικοι μυρεσθε τον ανδρα παῤ υδασι κυκνοι,
Και γοεροις στοματεσσι μελιζετε πενθιμον ῳδην.
Ειπατε δ' Ωκεανῳ, Θετιδι δε τε ειπατε, ὁττι
Δορβιλλος τεθνηκεν, ὁς υμμας εφιλατο θρεψαι.
Αιαζω Δορβιλλον· επαιαζοιτε μελικται.
Πασα τ' επαιαζοι λιπαρη πολις· αστεα παντα
Βατταυων στοναχοιτε τον ἱμεροεντα ποιητην.
Ἑρμειας Παφιη τε μορον γοαουσιν εκεινου,
Και Μουσαι, Χαριτες τε κλαιουσι και αυτος Απολλων.
Αι· αι· ται βοταναι μεν, επαν κατα κηπον ολωνται,
Και κρινα ευωδη και λειρια ξυν ὑακινθοις
Ὑστερον αυ ζωουσι, και εις ετος αλλο φυονται.

Αιαζω

Αιαζω Δορβιλλον· επαιαζοιτε μελικται·
Εστι μαρανθεισιν γε βεβαιος δενδρεσιν ελπις,
Και δε κοπεντα, ὁμως χαμαι αυχις επανθησουσι,
Μηδε ποτ᾽ εκλειπουσι σφιν ερνεα, μηδε ραδαμνοι·
Καν αυται κεινων γηρασωσ᾽ εν χθονι ριζαι,
Τα στελεχη αναθαλλει απ᾽ οσμης ὑδατος αυθις,
Χ᾽ ωσπερ ει αρτιφυη ωσιν, νεα ανθεα ποιει.
῾Οι δε σοφοι, δοκιμοι τε τεχναις, ηδ᾽ εμφρονες ανδρων,
῾Οπποτε πρωτα θανωσιν, ανηκοοι εν ταφῳ οικτρῳ
Παννυχιῳ εμπης ἑυδουσι δεδεσμενοι ὑπνῳ·
Ουδε τις ανθρωπων εις τον βιον ηλθ᾽ ανακαμψας.
Αιαζω Δορβιλλον. επαιαζοιτε μελικται.
Οκρυοεις Θανατος προς τον Δορβιλλον αφιξας
Τρις τα βελεμνα λαβεν, και τρις κατεβαλλε χαμαζε,
Ανερα αιδομενος· του και αν εφεισατο, ει μη
Μοιρα τελεσσινοος κεινῳ βουλεσσατ᾽ ολεθρον.
῾Υστατα δ᾽ αστοργου ὑπο δεσποινης αεκασθεις
Τοξον αμαιμακετον, κοιλ᾽ ομματ᾽ ετεινε καλυψας·
Και μεν ὁλως παρα μικρον ἑος βιος ἡμαρτησεν.
Αυταρ ὁμως κουφῳ τρωθεις ὁ αοιδος οϊστῳ
Ουκ ετι ὁιος εην εκφευγειν κηρα μελαιναν.
Αιαζω τον αοιδον· επαιαζοιτε μελικται.
Τις δε μιν ῾Ολλανδων εκδεξεται αξιος αλλος,
῾Ος τοσα νυν μουνος διαπρασσειν εργα δυναιτο,
῾Οσσαπερ αθανατου κεινος διεπραξε μετ᾽ αινου;
Δειμα δε παντας εχει, μη δευτερα ἑιο φερωνται.
Αιαζω Δορβιλλον. επαιαζοιτε μελικται.
Αι, αι την χηραν, ἡ τοιον ολωλεν ακοιτην.
Ου τοσσον θρηνησεν αν᾽ ὑλην τρυγονα τρυγων,
Ου τοσον αινοπαθη ῾Ηρω κατεκλαυσε Λεανδρον,

Σχετ-

Σχετλιον ουδε τοσον κατοδυρατο Κυπρις Αδωνιν,
Ὁσσον αποφθιμενου, Ιδη, εκινυρασο Πετρου.
Ωλεσας αι καλον ανδρα, συνωλεσας αγλαον ειδος,
Νυμφιον αιαζουσα. συναιαζοιτε μελιτται.
Αιθε τεκειν οφελες μετα θηλεος αρρενα ὑιον;
Ὁς γε σε πενθουσαν νυν πως παραμυθησαιτο;
Ελπιδα σοι παρεχων, πατερι ποτ' αλιγκιος ειναι.
Νυν δ' ατλητῳ, αλαστῳ, ανηκεστῳ γοῳ αχθῃ.
Δακρυχεων δε σον αλγος οδυρομαι. Αλλατε, Μουσαι,
Εικος ειη, πατερος θρηνον, πενθος τε Φιλιππου
Γραψασθαι, αγαπητον επει απολωλασι Πετρον.
Αλλ' ὡς πρωτιστος γραφεων Αγαμεμνονος οψιν,
Ὁπποταν Ιφιγενεια μορῳ εγγιστα γενηται,
Ου δυνατ' εικαζειν, μουνῳ δ' ενεδυσατο πεπλῳ.
Ὁυτω και ὑμεις σιγατε, τα ουδε δυνασθε
Αειδειν, ὡσπερ τοιν αμφοιν αξια ειη.

ΓΟΥΔ. ΟΘΩ ΡΕΙΖΙΟΣ.

Θ. τῃ τριτῃ μηνος
Ιανουαριου, εν ετει
Α Ψ Λ Θ.
Ι

VIII.

GRAFSCHRIFT

Voor den, in veelerhande Geleerdheid, uitmuntenden HEERE,

MR. PETRUS D'ORVILLE,

Overleeden te Amſteldam, den 3 van Louwmaand 1739.

HIer ruſt hy, die verſtrekte aan Amſtels kroone een' paerle,
En Pallas met Mercuur zoo voegzaam had gepaard,
Dat oude of jonger tyd ligt niemand heeft gebaard,
Die zoo gelyk was aan den Koopman * van VAN BAERLE.

* *Mercator Sapiens*, zynde 't onderwerp der Redenvoeringe, met welke de vermaarde C. *van Baerle*, het Doorlugtig School van Amſteldam heeft ingewyd.

PR. DE LA RUË.

IX.

IX.

In Obitum

Viri Elegantiſſimi Ingenii, & Politiſſimae Eruditionis

PETRI D'ORVILLE

In Ipſo Aetatis Robore Exſtincti.

COntinuat gemitus noſtros, variatque dolorum
   Non interruptas Parca inimica vices.
Publica luctifero ſonuerunt pulpita planctu,
   Funere & in gemino Leida minuta ſtupet.
Nunc & amicitiae querulum novat Amſtela murmur,
   Ereptumque decus nobile Muſa gemit.
Dorvilii, carum Muſis par nobile fratrum
   Nunc caret, heu! media funere parte ſui.
Abſtractumque ſenex Pater, & cum Conjuge Proles
   Conclamant, miſeros conſociantque modos.
Tuque, Jacobe, tuum Petrum, comitemque decuſque
   Abſciſſum lateri non ſupereſſe ſtupes.
Indutae Charites lugubria ſigna doloris,
   Crinibus incomtis ad nova buſta ſedent.
Et tantum potuiſſe dolent mala numina Parcas,
   Dum carpunt avida ſtamina pulchra manu.
Naïdes abjectis calathis, miſeraque cupreſſu
   Depoſita, lacrimis ora venuſta rigant.

Nec precibus locus eſt; dirae inmotaeque Sorores
Deproperant celeri triſtia penſa colo,
Illicitiſque ſecant juveniles falcibus annos,
Dum patet in miſeros area lata ſenes.
Et tu, Petre, tuo ſolvens indebita leto
Foenora, mortali munere functus abis!
Quem ſibi Atlantiades primis formavit ab annis,
Non tenuit avidi ſpes male ſana fori.
Sed Genius varios doctoſque polivit in uſus,
Pierideſque trahunt in ſua caſtra Deae.
Quem Phoebus docuit Latios tractare Poëtas,
Et primos inter juſſit habere locum.
Nempe dabat ſtudium faciles in carmina vires,
Atque in ſeceſſus otia, lauta domus.
Hinc dociles numeri, blandoque effuſa lepore
Gratia, & altiſono pectine dulce melos.
Cui vita & mores culti, riſuſque, ſaleſque,
Gaudiaque innocuis exhilarata jocis,
Nunc exſtincta jacent: inviſo funere fertur,
Quod pulchro viguit robore, corpus iners.
Illa tot eximiis exculta laboribus aetas,
Illa venuſtatis gratia, ut umbra, perit.
Flet Pater, indignum! mutatoque ordine claudit
Lumina, & inverſo fungitur officio.
Teſtatuſque Deos fruſtra, votiſque fatigans
Ad nati exſequias cogitur ire ſenex:
Nata pia, & Conjux incondita murmura fundunt,
Et planctu querulo perſonat aegra domus.
Liqueris, & miſeros elegos, veroſque dolores
Exprimis inparibus, carmina iniqua, modis:

Ni

Ni dolor abſtulerit tibi publica verba, modoſque
Conſumat gemitu, docte Jacobe, tuo.
Nil agimus: melior, curis exempta moleſtis,
Pars Petri ridet murmura noſtra tui.
In te, Petre, tamen fructumque decuſque poëtae
Decerptum medio floris honore dolent.
Et memori celebrant vivaces carmine laudes;
Qua Criticen tollant ſidera ad ipſa tuam.
Meque in amicitiae nunc parte haeſiſſe, minuti
Teſtentur numeri, moeſtitiamque probent.
Supremumque, inter geminata negotia vero
Expreſſum luctu nunc cape, Petre vale.

HENR. SNAKENBURG.

X.

Εις θάνατον

ΠΕΤΡΟΥ ΔΟΡΒΙΛΙΟΥ,

Ἀνδρὸς λογιωτάτυ, καὶ γλυκυτάτυ ποιητῦ, Ειδύλλιον.

Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Α δειλαὶ Μῶσαι, ὔμμιν φίλος ὤλετο κεδνός·
Ωλετο Δορβίλιος, Βαταβῶν μέγα κῦδος ἀοιδῶν·
Καὶ νέος ὢν ἀπόλωλε, καὶ ὔμμι δὲ πένθος ἐλείφθη.

Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Τήνω θνάσκοντος, Νύμφαι γόον ἵμερον ὦρσαν
Ναΐδες, Αμςέλιαι κλειναὶ ῥοαὶ αἷσι μέλονται.
Κῆφαν, Πέτρε τάλαν, νέος οἴχεαι, ὦ 'γαθέ· κᾒ τοι
Χραίσμησ' ἁ κίθαρις, κᾒ Μοισᾶν ἀγλαὰ δῶρα.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Τὰν λιγυρὰν φωνὰν φιμώσατο Μοῖρα κραταιά.
Α μὰν σχέτλιος ἐσσί, θεὰ λίνω ἰθύντειρα,
Αψαύςως λείποισ' ἀπαλάμνως, ἄχθε ἀρύρας,
Κᾒ φείδοισα σοφῶν, τοῖς τιμὰ παῤ Διὸς αὐτῶ.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Τῆνον Φοῖβος ἄναξ ἐδιδάξατο, τῆνον ἀπ' ἀρχᾶς
Αι τ' Ετεόκλειοι Χάριτες, Μοῖσαί τ' ἐφίλασαν,
Καὶ γλυκὺ γιγνομένῳ ἐπὶ χείλεσι νέκταρ ἔχευαν,
Αμβροσίαν τ' ἐρατὰν, τερπνὰν δὲ τε γᾶρυν ἔδωκαν.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Καὶ τέ νιν ἀμφαγάπασε Διὸς παῖς Παλλὰς Αθάνα·
Δῶκε δέ οἱ σοφίαν, ςήθει δ' ἐνὶ μῆτιν ἔθηκεν,
Ηδ' ἔρον ἰδρείας, ἅ τ' ἔπρεπεν ἀνδρὶ μελικτᾷ.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Καὶ νύ κε τὸνδε θεοῖς πεφιλαμένον ἔξοχα φῶτα
Τύνη, κὴρ ὀλοὰ, κατάγεις δόμον Αἴδος εἴσω,
Αλικίᾳ θαλερὸν, κᾒκ εἴας γῆρας ἱκέσθαι.
Μίμνε, θεὰ φοβερὰ, μὴ, πότνια, καίριος ἦνθες.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Ως Νύμφαι λίσσοντ', ἀνένευε δὲ Μοῖῤ ἀτέραμνος.
Καδ δὲ νοησάσας ποταμῶ θοὰ ἥρπασε δίνα
Τῆλε μάλ', ὡς μὴ ἴδοιεν, ἀπ' ἄςεος ἀΐξάσας.
Ηνίδε γὰρ Πέτρῳ θανατηφόρον ἆμαρ ἐπέςα·
Αμφὶ δέ νιν κρυερὸς νῦν πάντοθεν οἶτος ὑπαχεῖ.

Αρ-

Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Ηνθον, τοῖσι μετέπρεπ', ὁμάλικες, ἦνθον ἀοιδοὶ
Αιλινον ἱέντες, πότμον γοόωντες ἑταίρω.
Ηνθε πατὴρ πολιὸς, κῆφα, μὴ πρᾶτος ὄλοιο·
Ουκ εἰκὸς, φίλε τέκνον, ἀτάρ με πρᾶτον ὀλέσθαι.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Ηνθ' ἐρόεσσ' ἄλοχος, θυμαρὴς, κεδν' εἰδυῖα,
Χαίτας ἀμυσσομένα, καὶ στέρν' ἀπαλὰ πλήσσοισα·
Πᾶ ποκα νόσφιν ἐμεῦ, φάτ', ὦ πόσι, πᾶ ποκ' ἀφέρπεις;
Ου θέμις, ὦ νηλές, τοι ἐμεῦ δίχα ἄλλοσ' ἀφέρπεν.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Ηνθε κασίγνητος, λογίοις ἐνὶ ὤνομα κλεινὸν,
Κῆπεν, ἐπεὶ ψυχὰν, φίλ' ὄμαιμε, λελόγχαμες ἴαν,
Θώμισυ μεῦ ψυχᾶς ξύν τοι, φίλ' ὄμαιμον, ἀπαίρει.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Ως τοί γ' ἐθρήνευν, χὰ νηλέας ἄνυε βωλὰς
Ατροπος, ὠκυμόρω τε Πέτρω τάμε νήματα ζωᾶς.
Γώνατά οἱ λύνται, ὦχρος δὲ κατέσχε παρειάς·
Ωλετο Δορβίλιος, Βαταβῶν μέγα κῦδος ἀοιδῶν·
Ηΰτε δ' ἠρινὸν ἄνθος, ἄωρος ἀπώλετο τλάμων.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Κεῦθυς τὸν περιεῦντα καθάπτεται ἄλγε' ἀδελφὸν,
Αλγεα οὐκέτ' ἀνεκτὰ τρίτω νύ κεν εἵνεκα κήδευς.
Κάππεσεν ἐν κονίαις, κωκυτός τ' ὠρανὸν ἷξεν.
Αρχετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Αρ ὦν χρηστὸς ἀνὴρ στοναχίξει νωλεμὲς αἰέν;
Ου μὰν δηλετ' ἄναξ, Παρνασὼν ὃς ἀμφιβέβακεν·
Αλλ', ἐπεὶ ἀλίθιόν κεν ἀτειρέϊ καρὶ μάχεσθαι,
Τοίαν θαλπωράν οἱ ἐμήσατο Φοῖβος Απόλλων.
Λήγετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.

Ευτέ κεν ἐκψύχοντ' εἶδεν Πέτρον ἀργυρότοξος,
Δὴ τότε Βύρμαννον προτιφωνέει, ὃν θεράποντα·
Καὶ φάτο, ὔμμιν μὲν παρὰ Μοιρᾶν λυγρὰ τέτυκται·
Κεῖται Δορβίλιος, χὠ τάκεται ἐσλὸς ἀδελφός.
Δάκρυα κῦ τις ὄνοιτο, δίκαια γὰρ, ὐδέ κ' ὀνοςά.
Αλλ' ὥρα δακρύων, χὤρα μειλίγματος ἐντί.
  Λήγετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.
Ανίκα δ' ὦν τις ἄχευς θυμοφθόρω ἔνδοσις ἔςαι,
Βάσκ' ἴθι, Βύρμαννε, προτὶ τὸν τάλαν, ὧδ' ἀγορεύων.
Ως τὶν ἐξερέει δὶ ἐμὸν ςόμα Φοῖβος Απόλλων·
Δορβίλι εἰν ὀλίγοις τῷ 'μῷ κεχαρισμενε θυμῷ,
Εγρευ, ὦ δειλᾶιε, τί τάκεαι, ὡς πυρὶ καρός;
Εντιν ἄλις δακρύων, χρόνος ἄλλ' ὅδε μήδὲ ἀπαιτεῖ.
  Λήγετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.
Εφθιτο τὸ φθιτὸν ἧς, τὸ δὲ κ' ὐ φθιτὸν αἶεν ἐσεῖται.
Ουδὲ γὰρ ἀθανάτων ποκ' ἐτώσια δῶρα πέφυκεν,
Χείλεσι τοὶ Πέτρω ἐπὶ νέκταρος ἰκμάδα θέσσαν,
Αἰὲν ἵν' εὖντα μέλη ἱρὸν ςόμα συχνὰ μελίσδοι.
  Λήγετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.
Τῆνα πεπρωμενον ἐντὶ χρονισδέμεν, ὔ φθινύθοντα.
Τά χρὴ νῦν τυ, φίλε, ξυντασσέμεν· ὐ γὰρ ἔοικεν
Φάμαν τὠδέλφω πρότερόν τευ ἄλλον ὀφέλλεν.
  Λήγετε τᾶς γοερᾶς, Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.
Ως φάτο Λατοΐδας, χὤ δ' ὀυκ ἀπίθησεν ἀκύσας.
Χὠ δέ τε Δορβίλιος τω δαίμονος αὐτίκ' ἐφετμὰς
Κραίνει· χῷ λόγιοι θεοπνεύςαις μολπὰς ἄγανται.

G. J. van Swinden.

XI.

XI.

EFFIGIES
PETRI D'ORVILLE, J. U. D.

Eximii Poëtae & Mercatoris.

ECce ſoli natalis honor, tua fama, tuumque,
Amſtela, delicium, Petrus, & unus amor.
Mercurii Phoebique decus, qui Numen utrumque
Exemplo docuit poſſe coire ſuo.
De vultu Probitas placido Candorque renident.
His oculis Batavam prodit & ore fidem.
Attamen hac culti, quam cernis, Vatis imago
Major erunt, Clariis, carmina, ſparſa favis:
Carmina, quae Latios ſpirant, Grajoſque lepores:
Carmina, quae niveae pignora mentis habent.

ABRAHAMUS ARNOLDUS VAN TOL.

XII.

IN FUNERE

Viri Optimi & Eruditiſſimi

PETRI D'ORVILLE.

ET tu da lacrymas, quicumque hanc adſpicis urnam.
Qui jacet hic, cunctis flebilis ille jacet.

R 5 Non

Non ſibi, ſed patriae, ſed caris vixit amicis.
  Omnibus utilior, quam ſibi, Petrus erat.
Candidus, & comis, verae virtutis imago:
  Gloria Mercurii, Petrus, amorque ſui.
Nec minus Aonidas coluit. Pulcherrima teſtor,
  Aemula carminibus carmina, Naſo, tuis.
Divitis haec venae nunquam monumenta peribunt.
  Ingenio partus, morte carebit honor.
Oſſa ſui Phoebus gemitu defendit Alumni:
  Adgemit Aonii turba canora jugi.
Indignas miſeraſque vices pater Amſtela plorat.
  Ille meus Vates, dos mea, clamat, ubi eſt?
Amſtela, qui clarum poterit reducere Vatem,
  En tua nunc ſolus cura, Philippus erit.
Colligat hic utinam, famaeque det aurea Fratris
  Carmina. Sic redeat Petrus in ora tuus.

ABRAHAMUS ARNOLDUS VAN TOL.

XIII.

XIII.

Aan den Hooggeleerden HEERE
MR. JAKOB FILIP D'ORVILLE,
Profeſſor in de Hiſtorien &c. &c. &c.

Op het Overlyden van zyn Ed. Heer Broeder
MR. PIETER D'ORVILLE.

Τί φθιμένοις στοναχεῦμεν ἐφ' υἱάσιν, ἀνίκ' ἀλαλκεῖν
Τῶν παίδων ἀΐδην οὐδὲ θεοῖς δύναμις;

Anthol. lib. III. Epigr. 7.

DEelde ik in uwe vreugt, 'k zal in uw tranen deelen,
D'Orville, aen wien myn ziel zich eeuwig houd verplicht!
Het ga hoe 't wille, uw heil zal ſteets myn geeſt verblyden,
Uw druk, gy weet het Goôn, zal ſteeds de myne zyn.
Zong ik, toen u Minerve aen d'Aemſtel innewyde;
Speelde ik, toen u Dione een minlyke Ega ſchonk;
Ik zal niet zwygen, maer met zang uw klagt verzellen,
Daer gy drie lyken, u zo lief, zo waert, beſchreit.
'k Was dus uw lotgenoot, het zy 't aeloude Romen
Uw keurig oog een' ſchat van gryze wondren boodt:
Het zy 't afgryſlyk woên der Kataneeſche golven
Uw dierbaer leven dreigde, en elk den moed benam.

'k Was

'k Was dus uw lotgenoot, daer Enna, Ceres heilig,
Zyn zalige landou noit zonder vruchten ziet:
Ook daer de Strombolus, in 't midden van de baren,
Een hel van vuur en vlam ten hoogen hemel dryft.
Nau hadt gy de oogen van uw deugdelyke Vrouwe
Geloken, 't vroom gebeente aen d'aerde toebetrout;
Of 't tweede Vruchtje, daer Lucine uw echt meê kroonde,
Blaeſt zyne zuivre ziel ter veege lippen uit.
Noch heeft uw druk geen eind. de Hemel houd in 't ſchenken
Van heil of ramp geen maat. daer ſterft uw Broeder ook!
En welk een Broeder! een die u zo teer beminde,
Van u zo teer gelieft, alleen thans al uw trooſt.
Wie twyfelt of de rou oit Niobe verkeerde
In eenen harden ſteen, zie u in deezen ſtaet.
ô Goôn, was 't niet genoeg, en Vrouwe en Kint te miſſen!
Te weeten, zonder dit ſcheen u s'mans ramp noch kleen!
D'Orville ſchrei, ja ſchrei, myn Zangſter helpt u ſchreien,
En roept met flaeuwe ſtem, ach! Petrus is geweeſt!
Ach! Petrus is geweeſt! nu zullen Ynajaden,
Noch Aemſtelnimfen meer verlieven op zyn zang:
Ach! Petrus is geweeſt, die door zyn Roomſche ſnaren
Aen Iſter, Rhone, Teems en Tyber is bekent!
Wiens ronde gulheit, geeſt en aengename zeden,
Hem 't voorwerp maekten van elks achting, van elks min!
Heeft dan d'ondankbaerheit ook plaets by Hemellingen,
En zwaeien wy vergeefs hun Syriſch reukwerk toe?
Dus is 't: zo 't anders waer, D'Orville, gy zoudt leven:
Dit had uw Godvrucht, dit had uwe deugt verdient.

Zacht

Zacht roekelooze tong! waer voert de druk u henen?
Verſchoontme ô goede Goôn! ik weet gy hebt geen ſchult.
Gy kunt uw eige krooſt voor 't ſterven niet bevryden:
Het ſtale Nootlot ziet noch menſch noch Godheit aen.
Waer 't in der Goden macht den Doot zyn pyl te ontrukken,
Vrouw Thetis had haer Zoon voor Troje niet beſchreit;
Kalliope had noit heur Orpheus zien verſcheuren;
En Memnons ſneuvlen had Aurore niet ontſtelt?
Wyl al wat adem heeft dan vroeg of laet moet ſterven,
Gelukkig die, als gy, ô Petrus, heeft geleeft!
Nu krygt uw deugt haer loon, daer gy langs rozepaden,
In ongeſtoorde ruſt, den waren welluſt ſmaekt.
Gy ziet u door een rei van onbeſmette geeſten,
Uw waerdſte Vrienden, teer verwelkoomt en begroet.
Marie, uw eerſte liefde, omhelſt u bly van zinnen;
Terwyl Vrou Ide uw doot zo jammerlyk beweent.

H. G. van Vryhoff.

XIV.

XIV.

In Obitum Praematurum

Viri Nobiliſſimi, Conſultiſſimi atque Doctiſſimi

PETRI D'ORVILLE,

J. U. D.

ATtonitum quo me pietas temeraria ducis,
Ut ſolvam vati triſtia juſta meo?
Non me Pieriis auſim miſcere Poëtis,
Ad quos praecipue pertinet ille labor.
Hi claros celebrent illuſtri carmine manes,
Hi dent funereis turea dona focis.
Non me tam placido reſpexit lumine Phoebus,
Ut numeros ſperem poſſe placere meos.
Nullo teſte juvet vigili indulgere dolori,
Qui mea crudeli vulnere corda fodit.
Ah! juvet abſtruſa moeſtum me condere ſilva,
Conteċtumque umbris delituiſſe nigris.
Hic deſiderium vatis renovabit imago,
Quam miſerae menti noxque dieſque refert.
Hic juſtos imo fundam de pectore queſtus,
Hic tepido ſciſſos imbre rigabo ſinus.
Flebilis hic planctus caecis reſonabit in antris,
Et levis ad gemitus ingemet aura meos.

Con-

Confluet huc ingens Satyrorum turba vagorum,
　Convenient iſtuc ſilvicolaeque Deae.
Egreſſus ſilvis hac me comitante caterva,
　Conquerar ad ripas, turgide Trava, tuas.
Nais glauca vagis ululantes queſtibus auras
　Audiet, ac medio proferet amne caput.
Audiet aequoreus vicino litore Triton,
　Concutietque tuba regna ſecunda Jovis.
Jam pariter flebunt ſocio cogente dolore
　Et nemorum Nymphae Naïadumque chorus.
Talia curarum pleno dum corde voluto,
　Corripit inſolitus pectora lenta furor.
Ultro parturiunt praecordia flebile carmen,
　Dorvilli funus quale decere queat.
Haud ſequor invitus, qua ſe furor incitat ardens,
　Os reſerante mihi corque movente Deo.
Quisquis amas vates, linguis animiſque faveto,
　Et facili queſtus aure notato meos.
Hoccine reſtabat genti tot funera paſſae,
　Ut ſubito caderet floſque decuſque domus!
Heu quantum ſubita conſumtum morte Poëtam
　Nunciat a Batavo fama relata ſolo!
Nondum Parca potes tenero miteſcere fletu?
　Nondum ſaeva colum ſiſtere Parca potes?
Uſque adeo nec doctrinae Libitina nitorem,
　Nec Themidos clarum reſpicis atra decus?
Eloquar? at mea lingua ſtupet moerore. Silebo?
　Hoc vetat in luctus officioſus amor.
Care ſenex! quanto turgent tua lumina fletu,
　Pallida dum nati conſpicis ora tui?

Quam

Quam foedo niveos conſpergis pulvere crines?
Quam laceras graciles ungue rigente genas?
Parcius immaduit patrius tibi, Daedale, vultus,
Cum fleres nati triſtia fata tui.
Non ſic amiſſos foetus Philomela ſub umbris
Seu veniente die ſeu fugiente gemit.
Fratris in amplexu Frater ſua lumina claudit:
Debuit heu Fratri dicere: Frater ave.
Nec ſic Sole ſatae Fratrem luxere Sorores,
Quando miſer celſi decidit axe poli.
Sortis ut infidae nimium quaſſata ruina
Alma domus damnis adgemit uſque ſuis!
Sic erat in fatis. ſupremum debuit eſſe,
Quod nuper vati diximus ore vale!
Scilicet a Batavis florens diſceſſerat oris,
Emenſam ut repetat noſtra Camena viam.
Nunc redit: Amſtelia ſed non ut geſtiat acta,
Aut videat ludos, Ya ſonore, tuos:
Sed miſero planctu liventia brachia laſſet,
Sentiat & fatis omnia verſa malis.
Non velut ante ſali ſummas perlabitur undas,
Sed riguis undans fletibus aequor arat.
Nautica tunc pubes ſonuit laetum ore celeuſma,
Jam mihi ſingultus heu dolor ore ciet.
Ante Notus flatu tendebat vela ſecundo,
Arbore nunc furva carbaſa pulla fluunt.
Ancora tunc flavas unco comprendit arenas,
Ah mea nunc media fluctuat alnus aqua.
Tunc hilares puppim laetis advertimus oris,
Solvimus & liquido munera grata Deo.

Lit-

Littora mens refugit tanti nunc conſcia luctus,
Velaque ab Yaeis ſaepe retorquet aquis.
At quantum effervet ſtridens ſub pectore vulnus,
Cum portum tandem feſſa carina petit?
Egreditur navi compreſſo Muſa dolore,
Et varium dubio tramite verſat iter.
Non redimita gerit viridanti tempora lauro,
Nec Syrio pexas ſpargit odore comas.
Sordida ſed paſſis lugentis more capillis
Procedit, fletu ſaepe rigante genas.
Nec mora. dilectas quondam defertur ad aedes,
Tum ſibi, tum claris quae patuere viris.
Qua pius hic vates, florens cum duceret aevum,
Panderat Aoniis hoſpita tecta Deis.
Qua trino junctae nexu luſere Sorores,
Certaruntque virum demeruiſſe ſibi.
Fertur & hic Phoebus Parnaſi colle relicto
Dulciſonam digitis increpuiſſe chelyn.
At nunc, ferales ubi ſignant atria taxi,
Hinc procul aufugit victa dolore cohors.
Exſtinctum querulo comitem flent ore Sorores;
Quaelibet in tanto funere funus habent.
Dum blandis calamos Euterpe flatibus inplet,
Muteſcit ſubito tibia, dextra labat.
Calliopea, tibi & mens & color excidit omnis!
Et Chari, tu palma pectus utraque feris.
Fallor? an ipſe ſui miſeratus funera vatis
Fregit Hyanteam moeſtus Apollo lyram.
Ignoſcat placata meis acceſſibus umbra:
In tacitas ſedes noſtra Camena ruit.

S Dor-

Dorvillum vita functum gemebunda requirit:
Dorvilli ingeminat nomen inane ſui.
Dorvillum ſaecli ſidus circumſpicit unum,
A cujus petiit lumine ſaepe facem.
Exſere pallidulos gelido de pulvere vultus
Ante tuum nobis rapte poëta diem.
Nam tua buſta tibi quondam bene cognita Muſa
Inviſit, tumulo debita dona ferens.
Hei mihi! qualis eras quondam? cum Virginis aſtrum
Laetificos ferret ſole flagrante dies.
Cum duce te laeti peteremus Belgica Tempe,
Qua campos liquido flumine Vechta premit.
Heu quantus fuit ore lepos, quae gratia verbis?
Quam faciles riſus? qui ſine felle ſales?
Hei mihi! qualis eras, cum nos quoque numine dextro
Alliceret doctis Leida beata viris.
Aures cum patulas mulceret carmine dulci
Burmannus, docti gloria prima chori.
Cum quoque Paeoniis hortus cultiſſimus herbis
Deliciis caperet lumina noſtra ſuis.
Quae non laetitiae certiſſima ſigna dabantur?
Quam fulſit roſeo pulcher in ore color?
Maſcula quam ſolido florebat robore virtus?
Nil de te licuit pertimuiſſe mali.
Jamque animo plures doctus praeceperat orbis
Ingenii foetus, carmina culta, tui.
Qualia nec caſtae peplis intexta Minervae
Vidit Cecropiae turba diſerta ſcholae.
Quam cito ſed dulces dira robigine meſſes
Abſtulit Aoniis ſors inimica viris?

Quot

Quot tenebroſa ſinu ſpes nunc abſcondit arena?
Quam varias dotes funebris urna tegit?
Paeonio quae nunc horto mala maxima poſcam,
Quod tibi nil ſuccis profuit iſte ſuis?
Nec, fera languentes cum mors depaſceret artus,
Evaluit ſubita membra levare lue.
Forſan at immeritum lacerarim verſibus hortum,
Inque aliud recidat juſtior ira caput:
Fama refert, medicum peſtis neſciſſe latebras,
Et ſerum auxilium ſic valuiſſe nihil.
Sed quid agam? voluit ſic lex adamantina fati.
Virtus eſt tantis cedere velle malis.
Ergo, licet juſtos, luctus minuiſſe juvabit,
Nec voces Superis oppoſuiſſe graves.
Dii bene! quod laudes vatum per ſaecula durent,
Effugiatque nigros candida fama rogos.
Sic, Dorville, tuo numquam non carmine vives,
Vulgabuntque tuum muta ſepulcra decus.
Ipſe tuis lucem Pollux dat verſibus alter,
Atque opus ingenii proferet omne tui.
Quod ſupereſt, tibi ſerta fero ex bene olentibus herbis,
Quae plexit tenera Balthica Flora manu.
En tibi narciſſos, violas, mollesque hyacinthos,
En cum puniceis lilia cana roſis.
Ver tibi perpetuum ſuaves adſpiret odores,
Eque tuo frondens aggere laurus eat.
Sic culta officio tua molliter oſſa quieſcant,
Sic tua tellurem ſentiat umbra levem:
Sit precor hoc gratus cum munere muneris auctor.
Perpetuum ſalve, perpetuumque vale.

Joannes Fridericus Behrendt.

XV.

JAC. PHIL. D'ORVILLE,

LACRIMAE FUNEBRES.

In Exequias

PETRI VAN RYN,

Soceri Optatiſſimi.

TU primus furvi reſerabas oſtia buſti,
Clauſa diu, foedans necopina morte penates,
O Socer: aſſiduis domus hinc pulſata feretris
Funera vix pleno conſpexit quatuor anno:
Funera nulla quibus fixiſſent pectore plagam
Altius, aut flumen lacrimarum ſalſius ulla
Ex prope ſiccato preſſiſſent fonte genarum.
Ipſe quidem ſenii viridantis limina dudum
Prima ſupergreſſus, vireſque in corpore quaſſo
Vix onus annorum queſtus ſufferre moleſtum,
Intrepidus fati praecepta ſuprema manebas.
Hinc tibi nulla fere confectos cura per artus
Tranquilla ſubiit robur renovare quiete!
Sive forent imbres, ſeu ſol: ſeu grando niveſque
Hibernum Scythico ſpiſſaſſent frigore coelum,
Vel juveni cauto vitandas prodigus auras
Spernebas vitae. Tua pectora ſcilicet ardor
Nobilis, ac gelido non extinguendus in aevo,

Uſque

Uſque fatigabat; ne, primo flore juventae
Credita, nunc ulla provincia parte labaret,
Exactor rigidus commiſſi muneris ipſe
Civibus & patriae quaerebas utilis eſſe.
Saepe quidem, memini, dixerunt; Reſpice canos,
Gnave ſenex: luſtris ſeptem bis vita peractis
Te rude donatum ſectari mollia ſuadet
Otia, & anguſtae prudentem parcere luci.
Nauta procelloſum decurrere Nerea laſſus
Tranquillum placido ſenium producit in agro.
Vive tibi jam, vive tuis. Eſt nata ſuperſtes
Unica, & optato per te ſociata marito:
Donavit geminos tibi, pignora grata, nepotes
Foecundi fortuna tori: ſunt ſanguine juncti:
His tempus partire tuum. Modo filia collo
Pendeat, aut genibus pueros imponat avitis.
Jam tua captabunt palmis errantibus ora,
Aut monſtrante genis figent pia baſia matre.
Mox ſponte injicient blandas cervicibus ulnas
Nomen avi blaeſo repetentes dulce ſuſurro:
Aut, ſenis ante pedes puerilia ludicra mille
Ludere feſtivi, riſuſque jocoſque ciebunt,
Et tibi ſic actae revocabunt gaudia vitae.
Ceu quercus, leni Zephyro ſpirante, cacumen
Vix agitat ſummum, truncoque immobilis ipſo
Horrida nec Boreae nec Cauri verbera curat:
Sic ſenior priſcum vitae ſervare tenorem
Firmus, verba dedit rapidis ludibria ventis,
Propoſitumque urſit: donec vitalia robur
Deſtituit ſimul omne: ſimul ſubit improba Clotho

Forfice vix preſſa diſcerpere licia vitae.
O felix in morte ſenex, cui plena ſuorum
Turba piis animam, defecto corpore feſſam,
Alloquiis recreare flagrant, tantumque morantur,
Oſcula dum libent pallentibus ultima labris;
Extremumque vale, gelida vix aure receptum,
Contingit perferre leves ſolamen ad umbras.

IN MORTEM

ELISABETHAE MARIAE van RYN,

CONJUGIS PIENTISSIMAE.

Ipſa loquitur.

ME quamquam juvenum pennis ſtellantibus agmen
  E gremio rapuit, care marite, tuo,
Ac ſuper uda tulit depreſſae nubila terrae,
  Purior excelſi qua nitet aethra poli:
Quo nequit horriſono tonitru penetrare fragore;
  Sulphureum neque agit flamma tricuſpis iter:
Tam procul unde facem ſuccendit nocte Diana;
  Tam procul unde die Cynthius urguet equos:
Haud tamen oblitam taedae me finge jugalis;
  Quippe tuus memori pectore vivit amor.

Mil-

Millibus innumeris tellure receſſerit aether,
Transvolat aeterno foedere junctus amor.
Nam quid inexpleto tabent praecordia luctu!
Quid deſiderium te liquat uſque meum!
Poplite defecto plangi ſola pectore vidi,
Sulcarique graves rore calente genas:
Quum Clotho dubium torqueret pollice filum,
Ac mea jam ſtaret vellere nuda colus.
Quid perſtas reſerata nimis pulſare ſepulcra,
Atque Erebo pronam praecipitare viam?
Non poſſunt lacrimae manes revocare ſub auras,
Aut redimi fatis fata aliena tuis.
Nec Dii longinquos tibi me pepigere per annos,
Nec Superûm voto lex violanda tuo.
Quum mihi tam tenues fuerant in corpore vires,
Num ſperanda meis cana ſenecta comis!
Jamque nigram dudum quaſſarant lampada Parcae:
Sum mihi viſa meis fortior ipſa malis:
Indigaque auxilii genitorem nata cubantem
Officiis volui demeruiſſe meis.
Te, Pietas, coluiſſe juvat, cinereſque paternos
Collegiſſe, licet jam moriente manu.
Nam mea tum pariter ventis & fluctibus impar
Subſedit gemino preſſa carina malo.
Quid prodeſt medicas fruſtrà decurrere ad herbas!
Perdidit in mortem vim Panacea ſuam.
Quod ſi rex Superûm, mundi qui temperat horas,
Atque animas jungit, corporibuſque levat,
Majorem ſub ſole moram traxiſſe dediſſet,
Conjuge te dulcis vita futura mihi.

Laus haec & ſocii merces eſt ultima lecti,
Orcus ubi invitas ſolvit utrimque manus,
Ut plene officii ratio ſibi mutua conſtet,
Nec ſedeat lapſis aegra querela rogis.
Mutatum cupias in me, tua pectora teſtor,
Quid, niſi quod vitae ſtamina curta meae!
Et niſi quod nuptam nimium lacrimeris ademtam,
In te mutatum nil ego, care, velim.
Fallitur aethereis qui mentibus omnia cenſet
Excidere, ut tepuit nigra favilla rogi,
Carorumque nihil reminiſci. Scilicet iſtis
Exulat anxietas, cura, dolorque plagis.
At ceu ſponſa, novo mox occurſura marito,
Diſpoſuit veſtem diſpoſuitque comam,
Ac dedit armillas manibus colloque monile,
Nec digitis gemmae ſivit abeſſe decus;
Non hanc cura tamen ſponſo gravat illa placendi:
Quin nova diffuſa gaudia fronte gerit.
Hac quoque fine tenus Superos mortalia tangunt:
Triſtitiae clauſa eſt aetheris alta domus.
Et quamvis de te nequeat mens ponere curam;
Non tuus hic vexat, ſed modo mulcet amor.
Nec minus hinc laetam ſaturat me menſa Deorum
Ambroſiae ſuco nectareoque mero:
Non hinc laeta minus, choreis immixta piorum,
Exſulto, qua vox, qua lyra blanda ſonat:
Aut ſpatior, Zephyri qua per coeleſtia Tempe
Sola perennantes ventilat ala roſas.
Quis fortunata ſemel hac in ſede receptus
Non renuat terrae gaudia vana tuae!

Quod

Quod ſi mortales ſpiſſa caligine viſus
Non premat ex imo nox oriunda chao,
Et ſpectare jubar poſſint, quod ſole ſerenat
Clarius aeternos noſtra per arva dies,
Non mala paupertas, minitanſque extrema tyrannus
Ante diem toties trans Styga monſtret iter:
Quam deſiderium nimis acre micantia templa
Cernere, & e tenebris eripuiſſe caput.
At pater aeternus, coeli quum nubibus arces,
Telluremque cavis impoſuiſſet aquis,
Aligeroſque choros humanaque corda creaſſet,
Civibus & regio quaeque tributa ſuis,
Praepetibus diis jam tum conceſſit Olympum,
Per mare, per terras qui ſua juſſa ferant:
Aſt hominem, quamquam cognati ſcandere coeli
Limina fas olim, juſſit habere ſolum.
Neu tamen acceptis invito degat in oris,
Suſpirans nitidi rura beata poli,
Sed ſolem lunamque ſuos miretur & aſtra,
Et quodcumque gerit daedala terra ſinu,
Fulgida coeruleis praetexuit atria velis,
Quae niſi ſint certa non removenda die.
Te quoque, terra licet nunc ſordeat, ire negatum
Lucet adhuc noſtro qua pede preſſa via.
Dulce tenellorum, genitor, par reſpice fratrum,
Fulcra domus, uteri pondera bina mei:
Jam jam ſidereo deflectes vertice vultum,
Et mora deſpecti gratior orbis erit.
Hi facient poſſim ne tota periſſe videri:
In teneris tantum vultibus inſtar habent.

Hos mihi quum ferres, ſtratum fatale prementi,
Libantes gelidis oſcula ſumma genis,
Ipſa refixa polo dejeci lumina terrae,
Ac lavit madidos fervida gutta ſinus.
Nunc materna quibus mulcebas pectora dictis,
Quaeque dabas Superis teſtibus, adde fidem:
Fungere non tantum patris vice, fungere matris;
Menſuram gemini nominis unus habe.
Non tibi ſufficiat pueros altricibus ulnis
Credere: ſint gremio ſarcina ſaepe tuo.
Neu pigeat, ſi blanda quies recrearit ocellos
Quaerere: ſi teneris fletibus ora vacent:
Si riget hic pleno nivei ſe nectaris hauſtu:
Si cupidis ſubigat dentibus ille dapes.
Mox ubi jam collo deſcenderit aurea bulla,
Ac dulci reſonet multus in ore pater:
Et jam blanditias facturi infantia tendant
Brachia, cervices implicitura tuas,
Ne ſinito ignaros carae genetricis; & inter
Oſcula conſueſcant nomen amare meum.
Ac bene quae merui, dum ſivit Parca, renarres:
Quae mea ſedulitas, quae mea cura fuit.
Ne tamen illacriment maternis caſibus, ipſe
Alta ſerenata vulnera fronte tegas.
At praetexta togae quum conceſſura virili eſt,
[Et fias gemina prole, Jacobe, ſenex,
Quaeque meis Lacheſis detraxit ſtamina fuſis,
Addat ad illorum fila, tuamque colum]
Tum virtutis iter, coelo qua ſemita ducit,
Matris ad exemplum calcet uterque, mone.

Ut

Ut mea non fuerit ſeclo vitiata juventas,
  Captave deliciis, turba profana, tuis.
Vita ſed, a faſtu procul & livore remota,
  Tenderit aequales demeruiſſe ſuos.
Forte tibi florens etiamnum ſuadeat aetas
  In viduo ſterilem non ſenuiſſe toro:
Atque hilari lugens Hymenaeo naenia cedat.
  Quod tibi, cur fugias, faſque piumque ſinunt!
Contingat, voveo, ſimilis mihi moribus uxor;
  Sola, ſcio, ſi qua eſt, haec placitura tibi eſt.
O quibus obſequiis colui te nupta maritum,
  Te colat: hic illi laus imitanda mea eſt.
Illa, licet, flammis te non levioribus urat;
  Ac foveat gremio reddita cana ſenem:
Fac modo te memorem carae teſtetur Eliſſae
  In natos pietas non temerata meos.
Sentiat, ut de te pateat via nulla merendi,
  Ni referens matrem nomine, rebus agat.
Verum ſeu vacuum ſcandet nova nupta cubile:
  Sive ferar lecto ſola potita tuo:
Quando ſuprema dies vitae feliciter actae
  Occidet; ad cineres urna vehenda meos:
Ut ſciat invito divulſos poſtuma pubes,
  Quos videat ſociis nolle carere rogis.
Audin'! coeleſtes radianti cardine valvae
  Aethera concentu perſtrepuere novo:
Pompaque progeditur laetum ductura triumphum,
  Ac tuba coelicolas ſub ſua ſigna vocat!
Libera nulla mora eſt ſacris accedere turmis.
  Haec mea, non umbrae verba reare meae.

IN

IN EXITUM
PETRI D'ORVILLE,
Filii natu minoris.

PRaedulcis infans, matris Orco deditae
Munus, torique praemium caſti ultimum:
Avi voluptas altera ſenio gravis,
Et unicum cum fratre gaudium patri,
Oblivioque grata ſolitudinis.
Praedulcis infans, omnibus, qui viderint,
Et ſingulis amoris incitabulum.
Ab ore fletus exulabat ſcilicet,
Lacrimaeque nunquam mite luminum jubar
Obnubilabant: at genis in blandulis
Riſus, lepores excubabant perpetim.
Quo fugit ille roſcidis pomis color
Similis, & illa quo labrorum purpura?
Artus per omnes diditus vigor modo
Ut languet! ut modo torulis pingues manus
Lacertulosque vix cutis tegit aſpera!
Tune ille, qui minor e duobus fratribus
Aevo priorem provocabas robore,
Et ſpes ſecunda, at firmior domus eras?
Gemis, ejulas, & dentibus frendes, puer:
Puer miſelle! quid! puer non amplius,
Sed officina cruda Mortis impiae,
Qua diriora triſtium cruciatuum
In non merentem fabricatur ſpicula.
Latere quantum praeſtitiſſet in chao;
Quam ſolis almi ſic videre lumina,

Cui

Cui quanta vitae portio poena haud fuit!
Quam propter iſtam lucis uſuram brevem
Hauſiſſe, matri quod fuit carae ſuper,
Vitale robur anxiis puerperI
Laboribus, patrique defixum intimis,
Ingens, acerbum, vulnus in praecordiis
Recente plaga crudius reſcindere!
At non querelis hiſce manes parvulos
Reos peragimus: ſed trium neceſſitas
Triſtis Sororum flebilem vocem ciet.
Tu forte Superis carus in primis, puer,
Duro licebit, at brevi tamen malo,
Omnes labores, vita quos protractior
Homini parit, compendio peregeris.
Tot mille peſtes, corpori conterminas,
Incurſitantes, praeter hanc, famulam necis:
Tot mille curas & graves animi cruces,
Mortem levandis ſaepe quîs fruſtra vocant,
Transvectus es, ſimulatque portum contigit
Intrare, ventis & carentem fluctibus,
At omnium omnia gentium per ſecula
Iſti capacem litori adpellentium.
Salve quieti cultor Elyſii nove,
Salve valeque ter mihi patri & quater
Fluenta trans Stygis & lacus Acheruſios.
Quod inferorum poſtulavit fas Deûm,
Sepulcra matris oſſibus confinia,
Terra levi compoſta, triſtes ſparſimus
Uventibus de lacrima multa roſis,
Concivimuſque naeniam, luctus gravis
Aevum per omne pignus indelebile.

PRO

PRO EPICEDIO
In Obitu
PETRI D'ORVILLE,
Fratris unici.

QUod germana gravem preſſi ſub funera leſſum,
  Publica nec, luctus conſcia, verba dedi:
Deſine mirari. querimur reparabile damnum:
  Mens ſtupet extremis, non ſua, victa malis.
Quum ſocerum facilem, quum fidam forte maritam,
  Quum blandum puerum reddere fata queant:
Hunc mihi nulla dies, fortunaque reddere nulla,
  Aut fratrem unanimum Jupiter ille valet.
In primo gemitus natorum vulnere civit,
  In bis ſepteno facta lapis Niobe.



INDEX POËMATUM.

LIBER PRIMUS ELEGIARUM.

I. Critice ad Petrum Burmannum. Pag. 1

LIBER SECUNDUS ELEGIARUM.

I. Villae paternae deſiderium. 17
II. Ad amicos, ut ſuum natalem celebrent. 21
III. In Obitum Hadriani Relandi. 23
IV. Ad Jac. Phil. D'Orville, de ſua vivendi ratione. 26
V. Ad Janum Graeflandium a gravi morbo convaleſcentem. 33
VI. Ad Jac. Phil. D'Orville, in Britanniam proficiſcentem. 36
VII. In nuptiis Jac. Tiewelen & Joan. Eliſ. vander Hagen. 39
VIII. Jano Graeflandio, quum ſummos in utroque jure honores conſequeretur. 41
IX. Ad Jac. Phil. D'Orville. 43
X. Theodoro Hogenberg, quum eccleſiae Zeiſtenſis paſtor electus eſſet. 46

LIBER TERTIUS ELEGIARUM.

I. Laus Hiemis. 49
II. Jacobo Philippo D'Orville, quum J. U. D. crearetur. 55

III. Gra-

III. Gratulatio ad Dav. Hoogſtratanum. 75
IV. Franc. Oudendorpio, Scholarum apud Neomagenſes Rectori inaugurato. 61
V. Ad Janum Graeſlandium. 63
VI. Godardo Kronenbergio, quum J. U. D. crearetur. 66
VII. Ad Fr. Oudendorpium, quum Harlemenſium Scholarum Rector inaugararetur. 67
VIII. Jacobo Graeſlandio, ſummos in U. J. honores adipiſcenti. 70
IX. In Juliam. 72
X. Expoſtulatio cum Muſis. 74
XI. In Nuptiis Fr. Oudendorpii & Sarae Torreniae. 76
XII. Danieli Sim. Sibersmae, quum ad eccleſiaſticum munus in pago Coudomenſi eſſet vocatus. 83

LIBER QUARTUS ELEGIARUM.

I. In Amorum ſcriptores. 85
II. Ad Jac. Phil. D'Orville. 88
III. In Obitum Dav. Hoogſtratani. 89
IV. Ad Jan. Graeſlandium. 93
V. In Nuptiis Jac. Phil. D'Orville & Eliſabethae Mariae van Ryn. 95
VI. In Hypocritas. 97
VII. Hermanno van Rynevelt, quum J. U. D. pronuntiaretur. 98
VIII. Primus amicae occurſus. 99
IX. D. M. Petri Vlamingii. 102
X. Petro Burmanno, Franc. Fil. Franc. Nep. Literarum humaniorum profeſſionem in Academia Franequerenſi auſpicanti. 105
XI. Ad Jac. Phil. D'Orville, de Nihilo. 110

XII. Hu-

XII. Huberto Greg. van Vryhoff Profeſſionem J. U. in Academia Harderovicenſi auſpicanti. 111
XIII. In Obitu Diderici vander Meer, ad Jeremiam vander Meer. 115
XIV. In pacem Batavorum diuturnam. 119
XV. In nuptiis Jeremiae vander Meer & Mariae Joann. Munter. 122

LIBER QUINTUS ELEGIARUM.

I. Pſalmus Octavus. 127
II. Anacreontis ode prima 128
III. ——— ode duodecima. 130
IV. ——— ode quarta decima. 131
V. ——— ode vigeſima. 133
VI. Imitatio Elegiae primae Alb. Tibulli. 134
VII. Q. Horatii Flacci ode nona Libri primi. 138
VIII. ——— ode octava libri ſecundi. 140
IX. Epigrammata verſa ex Anthologia. 143
X. ——— ex Daniele Heinſio. 146

CARMINUM LIBER.

I. Chriſtus Triumphans in Cruce, ex Joannis Vollenhovii Belgico. 147
II. Ecloga. 174
III. Epigramma ex Anthologia. 177
IV. Ad Jeremiam vander Meer, quum J. U. D. pronuntiaretur. 179
V. Ad Fr. Oudendorpium, quum leporem dono miſiſſet. 181
VI. Ad puerum Roelandi van Thiel. 183
VII. Fabula ad Jac. Phil. D'Orville. 183

ADOPTIVORUM LIBER.

I. Dan. Sim. Sibersma Petro D'Orville. 185
II. Jac Phil. D'Orville epiſtola ad eundem 187
III. Dan. Sim. Sibersma ad eundem 192
IV. Franc. Oudendorpius Petro D'Orville. 193
V. Jac. Phil. D'Orville, Petro D'Orville & Jano Graeſlandio. 196
VI. Dan. Sim. Sibersma ad P. D'Orville. 198
VII. Jac. Phil. D'Orville Petro D'Orville J. U. D. titulum gratulato. 199
VIII. ——— Elegia ad eundem in Anglia haerentem. 200
IX. David Hoogſtratanus Petro D'Orville, quum in Leidenſi Academia ſupremos in J. U. honores conſequeretur. 204
X. Henr Snakenburg Petro D'Orville a Muſis Themidi initiato. 205
XI. Fr. Oudendorpius ad P. D'Orville ICTIS adſcriptum. 207
XII. Dan. Sim. Sibersma ad eundem, quum ſummis in U. J. honoribus inſigniretur. 210
XIII Jac. Phil. D'Orville eidem, quum J. U. D. renuntiaretur. 213
XIV. Bernardus Moneta Jac. Ph. & Petro Dorvilliis de epicedio in Dav. Hoogſtratanum. 215
XV. Jac. Phil. D'Orville in nuptias P. D'Orville & Mariae Jacobae de Bruyn. 216
XVI. Fr. Oudendorpius P. D'Orville & M. J. de Bruyn ſponſis. 219
XVII. H. Snakenburg in Nuptiis P. D'Orville & M. J. de Bruyn. 222
XVIII. Jac. Ph. D'Orville ad P. D'Orville. 226
XIX. ——— Homeri hymnus VI. 227

XX.

XX. ———— Muſarum vindicta ad P. D'Orville. 229
XXI. ———— In Piconum Bibliothecarium Taurinenſem. 234

EPICEDIORUM LIBER

IN

PETRUM D'ORVILLE.

I. Joannis Buherii Memoria Petri D'Orville. 237
II. P. Burmannus, Fr. Fil. Fr. Nep. D. M. ejuſdem. 239
III. Jak. Elias Michielsz. Grafſchrift voor Mr. P. D'Orville. 244
IV. Balt. Huidecoper in funere ejusdem. 245
V. H. F. Ketelanus in obitu ejuſdem ad J. P. D'Orville. 248
VI. F. Oudendorpius in obitu ejuſdem. 253
VII. G. O. Reitzii Ἐπιτάφιος Π. Δορβίλλου. 255
VIII. P. de la Rue, Grafſchrift voor Mr. P. D'Orville. 258
IX. H. Snakenburg in obitum ejusdem. 259
X. G. J. van Swinden Εἰδύλλιον εἰς θάνατον Π. Δορβιλίου. 261
XI. A. A. van Toll effigies Petri D'Orville. 265
XII. ———— in funere ejusdem. 265
XIII. H. G. van Vryhoff over het afſterven van Mr. P. D'Orville aan Mr. J. P. D'Orville. 267
XIV. J. F. Behrendt Regiomontanus in obitum ejusdem. 270
XV. Jac. Phil. D'Orville Lacrimae in obitum Petri van Ryn. 276
XVI. ———— In mortem E. M. van Ryn. 278
XVII. ———— In exitum P. D'Orville, filii natu minoris. 284
XVIII. ———— Pro epicedio in exceſſum P. D'Orville Fratris. 286

ERRATA.

Pag. 78. 10. *amaranthe. amarante.*
Pag. 99. 1. *Naſicaa Nauſicaa.*
Pag. 110. 3. *cum. quum.*
Pag. 131. 26. *ipſe. ipſa.*
Pag. 240. ADOPTIVORUM. EPICEDIORUM.
Pag. 261. 3. βαταϐῶν. Βατάϐων.
Pag. 262. 19. ἃ τ'. ἄτε. 23. ἶιας. ἰῆς.

MAG 2019258

Digitized by Google

Digitized by Google